SYNOPSIS
THEOLOGIÆ PRACTICÆ
COMPLECTENS ET EXPLICANS
PRINCIPIA GENERALIA
Ad reſolvendos Conſcientiæ caſus ſcitu neceſſaria.

DIGESTA EST PER QUÆSTIUNCULAS QUÆ SERVIRE POSSINT CONSUETIS EXAMINIBUS ORDINANDORUM CONFESSARIORUM, Promovendorum ad Beneficia Parochialia per concurſum conferri ſolita &c.

AUCTORE
P. JOANNE BAPT. TABERNA,
Societatis JESU Theologo.

PARS SECUNDA.

DUACI,
Ex Officinâ Typographicâ Viduæ B. BELLERI Regis Typographi Anno 1698.

PARS SECUNDA.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

VIRTUTES morales dicuntur, quæ hominem perficiunt in ordine ad bonum honeſtum, quæ proindè generatim ſpectatæ habent pro objécto actus humanos, ut honeſtos; in quo differunt à Virtutibus Theologicis, de quibus hactenus, quarum objectum ſaltèm principale eſt ipſe Deus.

Quinque ſunt præcipuæ, quarum quatuor dicuntur Cardinales, quód iis veluti cardinibus totius humanæ vitæ honeſta inſtitutio vertitur, nempe Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Iuſtitia: ſub quibus reliquæ continentur. Quinta eſt Religio, inter Virtutes morales præſtantiſſima, quippe quæ pró objecto habet Dei cultum, ac Divinam excellentiam, adeòque propè accedit ad Virtutes Theologicas. De his deinceps & vitiis oppoſitis agendum erit.

I H S

TRACTATUS I.

DE PRUDENTIA, FORTITUDINE ET TEMPERANTIA.

HOc Tractatu complectimur tres Virtutes Cardinales, Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiam, quarta, quæ eſt Iuſtitia, ob ſuam amplitudinem, Tractatum ſpecialem requirit.

CAPUT PRIMUM.

De Prudentiâ & Vitiis ei oppoſitis.

Q. 1. *Quid Prudentia, & qui ſint præcipui illius actus?*

R. Prudentia eſt virtus intellectualis dictans, & præſcribens, quid in quâvis particulari actione honeſtum & amplectendum; quid verò turpe & aſpernandum ſit. Cùm ſit virtus intellectualis, non eſt virtus moralis hoc ſenſu, quod ſit moralium actionum elicitiva, ſicut reliquæ virtutes morales, quæ conſiſtunt in voluntate: eſt tamen moralium actionum directiva, quippe quæ circa illas verſatur ut proximam materiam, ac finem.

Hinc Bernardus ſerm. 49. in Cantica : *eſt ergo diſcretio* (ſeu Prudentia) *non tam virtus* (nempe moralis conſiſtens in voluntate) *quàm quædam moderatrix , & auriga virtutum. ordinatrix affectionum, & morum doctrix.* Ejus actus præcipui ſunt , benè conſultare , rectè judicare , & præcipere executionem.

Q. 2. *An & quæ prudentia poſſit eſſe in peccatoribus.*

R. cum S. Tho. 2a. 2æ. q. 47. art. 13. prudentiam dici tripliciter : eſt enim quædam prudentia falſa , quâ quis propter malum finem aliqua diſponit congruentia illi fini. Et hoc modo dici poteſt prudens latro ; qui convenientes vias adinvenit ad latrocinandum. Et hæc ab Apoſtolo dicitur *Prudentia carnis.*

2a. Prudentia eſt quidem vera , quia adinvenit vias accommodatas ad finem verè bonum , ſed eſt imperfecta duobus modis. 1. Si illud bonum quod accipit pro fine , non ſit finis communis totius vitæ humanæ , ſed alicujus ſpecialis negotii, ut cùm aliquis adinvenit vias accommodatas ad negotiandum vel ad navigandum , dicitur prudens negotiator ; vel nauta ; 2. Si quis deficiat in principali actu prudentiæ : ut cùm aliquis rectè conſiliatur , & benè judicat de iis quæ pertinent ad totam vitam , ſed non efficaciter præcipit.

3a. prudentia eſt vera , & perfecta , quæ ad bonum finem totius vitæ rectè conſiliatur , judicat , & præcipit. Et hæc ſola ſecundùm S. Thomam , dicitur Prudentia ſimpliciter , quę in peccatoribus eſſe non poteſt. Prima autem prudentia quę eſt prudentia carnis , eſt in ſolis peccatoribus. Prudentia autem ſecunda, ſeu imperfecta, eſt communis bonis & malis

Q. 3. *Quæ ſint vitia prudentiæ oppoſita ?*

R. Alia eſſe ſecundùm defectum , ut ſunt incon-

ſideratio, præcipitatio, negligentia &c. quæ licèt ex parte intellectûs diverſæ ſint, tamen in genere moris, & in ordine ad confeſſionem ſacramentalem, eam ſolùm peccati rationem habent, quòd efficacem cauſam, vel ſaltèm periculum malæ electionis actioniſve præbeant. Hinc qui hominem pro ferâ incautè occidit, peccat inconſideratione, non tamen duo peccata committit, quorum unum ſit inconſiderationis, vel negligentiæ, alterum homicidii, exprimenda in confeſſione: ſed unicum homicidii, ad quod evitandum adhibenda erat cautio.

Alia ſecundùm exceſſum, ut ſunt prudentia carnis, & aſtutia; nam ut notat S. Tho. q. 55. art. 3. Duplex eſt falſa & culpabilis prudentia, una quæ propoſito fine malo v.g. carnis commoditatem, convenientia media ad talem finem inquirit, & adhibet. Et hæc dicitur prudentia carnis, eſtq; peccatum mortale, ſi in commoditate carnis principalis, & ultimatus humanæ vitæ finis ſtatuatur. Altera quæ propoſito fine bono, excogitat & adhibet media non propriè inſtituta ad talem finem, ſed fallacia. Et hæc dicitur aſtutia, ad quam revocantur dolus, & fraus; quæ ſecundùm S. Thomam art. 5. in eo differunt, quòd dolus pertineat ad executionem aſtutiæ, ſive fiat per verba, ſive per facta; fraus autem fiat per facta.

CAPUT II.

De Fortitudine & Vitiis ei oppoſitis.

Q. 1. *Quid Fortitudo?*

R. Ab Ariſtotele 3. Ethic. c. 6. definitur *me-*

diocritas circa timores, & audacias. Unde à Theologis rectè ſic deſcribitur : Fortitudo eſt virtus moralis, per quam animus erga ea, quæ acerba, & terribilia ſunt, rectè ſe habet, ut nec pravè timendo, nec temerè audendo ab officio deſciſcat.

Q. 2. *Quæ ſint vitia fortitudini oppoſita?*

R. Peccari contra fortitudinem per exceſſum, & per defectum timoris, dum occurrunt mala ſeu pericula. Item per exceſſum & defectum fiduciæ.

Vitium fortitudini oppoſitum per exceſſum timoris, dicitur *Timiditas.* Quod per ſe loquendo tantùm eſt veniale, quando per libertatem arbitrii corrigi poteſt, nec corrigitur. Interdum per accidens fit mortale, ſi ob timorem ſinas te moveri in conſenſum peccati mortalis.

Vitium oppoſitum per defectum timoris, dicitur *animi ſtupiditas.* Cùm quis nulla mala, ſeu pericula formidat, quando, & ubi formidare, & cavere oportet.

Vitium verò fortitudini oppoſitum per exceſſum fiduciæ, dicitur *Audacia*, ſive temeritas in aggrediendis periculis, quando, ubi, quomodo non oportet.

Denique vitium oppoſitum per defectum fiduciæ dicitur *ignavia*, cùm quis nihil audet, quando, ubi aggredi, vel ſuſtinere oportet.

Q. 3. *Quæ ſint virtutes fortitudini annexæ, & quæ vitia iis oppoſita?*

R. Enumerari ſolent ſequentes. 1. *Securitas* ſeu tranquillitas animi, cui opponitur nimia animi *ſolicitudo*, *anxietas* &c.

2. *Magnanimitas*, quâ res fluxæ & caducæ (ut ſunt mundana omnia) præ virtute, quæ ſola eximia eſt, & honore digna, contemnuntur. Illi per exceſſum opponuntur, *præſumptio*, *ambitio*, *vana gloria*,

Prçſumptio eſt quâ quis aggreditur opus arduum, facultatem ſuam excedens: ut ſi imperitus artis medicæ, corporibus; imperitus rerum ad conſcientiam pertinentium, animis hominum medendis ſeſe applicare præſumat &c. Eſt autem præſumptionis peccatum, per ſe veniale; ſed per accidens fit mortale ratione nocumenti, irreverentiæ, &c. De præſumptione ſpei Theologicæ oppoſitâ, dictum eſt ſupra, ubi de ſpe.

Ambitio eſt inordinatus appetitus honorum, qui duobus præſertim modis contingit: 1. Si appetas honorem, qui tibi non convenit, vel majorem quàm merearis: ut ſi honorari cupias ob doctrinam, nobilitatem, virtutem, &c. quam non habes: ſi cupias elevari ad officium, quo indignus es &c. 2. Si appetas honorem ex re illicitâ v. g. rebellione, duello, &c. Eſt etiam ambitionis peccatum per ſe veniale, ſed ſæpe fit mortale ratione nocumenti, quod alicui infertur; vel materiæ mortaliter illicitæ.

Vana ſeu *inanis gloria*, eſt inordinatus appetitus humanæ exiſtimationis, ac laudis, de quâ dicendum cum proportione, ſicut de ambitione: ut ſi de ſimulatâ doctrinæ, vel virtutis excellentiâ, laudem quæras, quæ eſt *hypocriſis*: ſi majorem de te opinionem ac famam deſideres, quàm merearis, vel illam quæras ex rebus malis, ut ex commiſſo homicidio, ſtupro, &c. aut etiam ex rebus indifferentibus, ut divitiis, viribus, pulchritudine &c. quæ de ſe laudem non merentur: & eſt *jactantia.*

Cçterùm honorem, gloriam, laudem, & favorem hominum, quæ ex virtutis operibus meritus ſis deſiderare & acceptare, dummodo in iis non ſiſtatur, ſed ad finem honeſtum ulteriorem, expetantur, non eſt peccatum, ſed potiùs virtus magnanimitatis.

Eidem magnanimitati per defectum opponitur *Puſillanimitas*, quâ quis nimiùm ſibi diffidens; bonum aliquod, cujus reipsâ capax eſt, detrectat: ut ſi quis munus aliquod ſibi delatum, vel imperatum, ad quod idoneus eſt, ob animi dejectionem reſpuat. Eſt etiam peccatum de ſe veniale, niſi fiat mortale ratione nocumenti, vel ſpecialis materiæ. &c.

3. *Magnificentia*, quæ inclinat ad faciendum quid magnum & magnos ſumptus, ubi id ſecundùm rectam rationem expedit. Differt à liberalitate, quòd hæc circa ſumptus mediocres & ordinarios, illa circa majores verſetur. Illi ſecundùm exceſſum opponitur *pecuniarum profuſio*, cùm quis majores expenſas facit quam ratio dictat. Secundùm defectum opponitur *parvificentia*, cùm quis præ animi anguſtiâ cœpto magno operi, v. g. templo ædificando, non pares ſumptus exhibet. Utrumque eſt peccatum veniale (ſicut prodigalitas & avaritia) niſi per accidens fiat mortale.

4. *Patientia*, quæ in rebus adverſis mœrorem temperat, ac mala præſentia æquanimiter tolerat; huic per exceſſum opponitur *impatientia*. Per defectum, *animi durities*, cùm quis ob animi ſtuporem, nec propriis, nec alienis malis movetur. Utrumque eſt peccatum ex genere ſuo veniale, & quandoque per accidens mortale, ratione nocumenti, ſcandali, &c.

5. *Perſeverantia & conſtantia*, quæ non obſtante temporis diuturnitate, difficultatibus, moleſtiis, &c. inclinat ad perſiſtendum in bono opere quamdiu recta ratio dictat. Illi ſecundùm exceſſum opponitur *pertinacia*, quando quis proprium ſenſum, vel agendi propoſitum firmiter retinet in illis circumſtantiis, in quibus non oportet. Secundùm defectum verò illi opponitur *inconſtantia*, qua leviter quis à bono propoſito deſiſtit; utrum-

que plerumque eſt veniale, interdum tamen mortale, pro ſubjectâ materiâ.

CAPUT III.

De Temperantiâ, ac vitiis ei oppoſitis.

Virtus Temperantiæ conſiſtit in moderandis voluptatibus corporis, iis nempe quibus guſtus & tactus delectantur circa eſculenta, poculenta, & venerea; hinc tres ſunt ejus ſpecies; abſtinentia, ſobrietas, & caſtitas; dicemus hoc capite de abſtinentiâ, & ſobrietate, ſequenti de jejunio, tum de caſtitate.

Q. 1. *Quid abſtinentia?*

R. Abſtinentia eſt virtus, quæ ſecundùm rationis regulam moderatur appetitum, uſumque ciborum oblectantium; porrò regula ac menſura cibi, uti & potûs ac ſomni capiendi, teſte Ariſtotele Ethic. c. 11. continetur corporis ac vitæ humanæ neceſſitate, ac utilitate.

Abſtinentiæ opponitur *Gula*, quæ eſt inordinatus appetitus, vel uſus ciborum, voluptatis causâ; in eſu autem ciborum duo ſunt conſideranda (ut notat S. Th. q. 148. art. 4.) nempe ipſe cibus, qui comeditur, & ipſa comeſtio. Ex parte cibi, inordinatio eſt, ſi cibos comedas nimis exquiſitos, vel nimis exquiſitè præparatos. Ex parte comeſtionis, ſi plus juſto comedas, vel ante tempus, vel nimis ardenter ac voraciter.

Dixi *voluptatis causâ*, quia ſi ob alium fi-

nem, v. g. ad hoſpitem, vel ægrotum provocandum, non ita modum ſerves, non eſt intemperantia.

Q. 2. *Quale peccatum eſt gula?*

R. Etſi inter capitalia numeretur, quòd ex eâ oriantur alia vitia, per ſe tamen, teſte Cajet. verbo *Gula* eſt tantum veniale, licet mortale fieri poſſit, 1. ratione perverſæ intentionis, quâ quis ita inhæreat oblectationibus ciborum, ut in iis, aut potu, ultimum ſuum finem quodammodò conſtituat. Iuxta illud ad Philip. 3. *quorum Deus venter eſt.* 2. Ratione gravis incommodi, quòd homo ex gulâ corpori ſuo advertenter afferat.

Q. 3. *Quid ſobrietas, & quid ejus oppoſitum ebrietas:*

R. Sobrietas virtus eſt, quæ ſecundùm rectam rationis regulam moderatur appetitum, uſumque potionis vim inebriandi habentis. De quâ proinde cum proportione dicendum, ſicut de abſtinentiâ.

Sobrietati opponitur *ebrietas*, quæ eſt exceſſus in potu, donec uſus rationis adimatur. Eſt peccatum mortale, ſi fiat ex ſolâ voluptate. Alioqui ſi ob alium honeſtum finem v. g. ad recuperandam ſanitatem, hauſtus vini ex Medici præſcripto ſumatur, ex quâ ſequatur ebrietas, ea non erit culpabilis, ut docent Sylveſt. Cajet. Tolet. quos citat & ſequitur Layman; quia non videtur inordinatum ſeu illicitum propter talem finem ad breve tempus uſu rationis deſtitui, ut fit in dormientibus. Limita prædicta ſi non ſuppetat aliud medium S. Th. 2. 2. q. 15. a. 2. ad 3;

Collige eum eſſe damnandum peccati mortalis, qui advertens proximum periculum inebriationis, ſeu ſecuturæ privationis rationis, non deſiſtit bibere. Quamvis privatio rationis ſolùm proventura ſit poſt unam, alteramve horam, cùm in li-

berum aërem erit progrediendum.

Q. 4. *Quibus ſignis cognoſci poterit, an quis fuerit ebrius?*

R. Ex Cajetano verbo *ebrietas*, & aliis ſummiſtis, hæc afferri à Leſſio.

1. Quando quis poſtridie non meminit, quid dixerit, egerit, quomodo domum venerit, aut cubitum conceſſerit, à quo deductus, vel adjutus ſit &c.

2. Si commiſit quæ numquam integrâ mente ſolet, ut ſi locutus eſt, aut fecit turpia, & abſurda, cùm aliàs ſit caſtus, & prudens: ſi juravit, blaſphemavit: uxorem & familiam turbavit, cùm aliàs ſit modeſtus & benignus &c.

3. Qui verò novit diſcernere inter bonum & malum, licitum & illicitum, vitare mala & eligere bona, cum ſufficienti advertentiâ, non videtur eſſe ebrius. Item ſi adhuc ſolita officia poſſit exequi, etſi cum aliquâ difficultate.

CAPUT IV.

De Jejunio.

Q. 1. *Quid requiritur ad jejunium Eccleſiaſticum?*

R. Requiri tria, ſcilicet abſtinentiam a carnibus, abſtinentiam ab alterâ refectione, & certum refectionis tempus.

Q. 2 *Qui cibi ſunt vetiti diebus jejunii?*

R. Non ſolùm carnes, ſed etiam ea, quæ ex carne originem ducunt, ut ova, & lacticinia prohibita ſunt jure communi Verùm in his ſpectanda eſt populorum conſuetudo, quæ in diverſis Ec-

cleſiis, eſt diverſa; nam quibuſdam in locis eſus ovorum & lacticiniorum omnibus jejuniorum diebus æqualiter prohibetur; in quibuſdam verò permittitur etiam in Quadrageſimâ &c.

Nota hanc Propoſitionem ab Alex. VII. damnatam: *non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſimâ obliget.*

Q. 3. *Quodnam eſt tempus refectionis in die jejunii?*

R. Olim tempus refectionis ordinarium fuiſſe horam diei nonam, ſeu tertiam poſt meridiem, aut etiam ſeriùs. Verùm cùm poſterioribus ſæculis homines, propter animi & corporis infirmitatem, tamdiu in jejunio non perſeverarent, communi Eccleſiarum conſuetudine anticipatum eſt tempus quod hodie, etiam in Quadrageſimâ circa meridiem inſtituitur.

Q. 4. *An ſit peccatum grave refectionem ſeu prandium in die jejunii multùm anticipare?*

R. Affirmant Couarr. Vivaldus, Navarrus, ſi id fiat ſine causâ. Negant plerique alii, eo quòd velint determinationem temporis tantùm eſſe circumſtantiam jejunii accidentalem. Dicendum cum Layman olim fuiſſe peccatum mortale tempus refectionis notabiliter anticipare ſine causâ: verùm ſpectatâ hodiernæ Eccleſiæ conſuetùdine, ejus modi anticipationem ſine causâ, ſolùm eſſe culpam venialem: nullum verò eſſe peccatum ſi fiat ex causâ, ut quando iter eſt faciendum, dimittendi hoſpites &c.

Q. 5. *An toties peccetur mortaliter, quoties aliquis in die jejunii carnes comedit, aut quoties ſumit iteratas refectiones?*

R. Toties peccari quoties comeduntur carnes, aliive cibi vetiti, quia fit contra præceptum non comedendi tales cibos, præceptum autem negativum obligat pro ſemper: præceptum autem

faciendi unicam refectionem communiter cenſetur affirmativum, quatenus per illud præcipitur jejunium, quod utique in unicâ refectione conſiſtit. Unde qui ſoluto jam jejunio quoad iſtam partem, pluries de die comederet, nonniſi ſemel peccaret, quamvis adhuc remaneret obligatio abſtinendi à carnibus, quæ eſt dividua.

Q. 6. *An & quomodò prandium interrumpi poſſit in die jejunii:*

R. Refectionem iſtam, quæ ſtilo Eccleſiaſtico dicitur cœna, non prandium, debere eſſe moraliter continuatam, quia alioquin non eſſet unica, ſed repetita. Si tamen ab illâ nondum finitâ diſcedere cogaris, confecto negotio reverti potes, eamque perficere. Quòd ſi ſufficienter refectus ab eâ diſceſſeris animo non revertendi, tenet Layman, poſt Navar. Valent. &c. te non poſſe deinde iterum menſæ accumbere & comedere quamvis ſententiam Leſſii docentis talem *poſtea mutatâ intentione poſſe redire ad convivas à quibus receſſerat, quia prandium adhuc durat.* Cenſent eſſe probabilem.

Non ſolvitur jejunium à famulis miniſtrantibus menſæ, ſi aliquid prægustent aut ex reliquiis ſumant, dum modò ex eorum intentione uniantur iſta cum eorum licitâ refectione. Sic etiam excuſantur lectores & miniſtri menſæ in Monaſteriis, ſi aliquid priùs accipiant quòd cum illorum refectione moraliter uniatur.

Non violat jejunium qui extra conſuetam refectionem bibit, etiam vinum aut cereviſiam; id enim permittit conſuetudo à tempore immemoriali, unde emanavit hoc vulgare proverbium: *liquidum non frangit jejunium*: ſi tamen juſculum, lac, vel ſimilis potio ſumatur quæ ad nutriendum principaliter refertur, jejunium violatur.

Similiter non violat jejunium, qui cùm extra

tempus refectionis bibit, pauxillum panis adjicit, nè potus noceat; quia id medicinæ rationem habet: licitum autem eſt quædam ſumere per modum medicinæ, licèt per accidens nutriant, modò id non fiat in magnâ quantitate per modum cibi potiùs quàm medicinæ. Qui tamen ſæpius modicum quid ita comederet, ut ad notabilem quantitatem in fine pertingeret, frangeret jejunium. Nam Alexander VII. inter alias, hanc Propoſitionem damnavit: *in die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Q. 7. *Quid dicendum de cœnulâ, ſeu collatione veſpertinâ?*

R. Eam eſſe conſuetudine introductam, ex quo anticipatum eſt tempus cœnandi, ſeu prandendi: quia ſi fideles poſt tam maturam diei refectionem nihil ampliùs cibi ſumerent, difficile noctu ſomnum capere poſſent. Cùm autem per ſolam conſuetudinem permiſſa ſit ea velut ſecunda refectio ab eâdem conſuetudine definiri debet tam ſecundùm qualitatem, quàm quantitatem ciborum.

De qualitate ſic loquitur Azor apud Layman. *communi uſu receptum eſt. ut parum panis etiam edatur, vel ſeorſim. vel unà cum fructibus, herbis, vel aliis cibis, levioribus, cujuſmodi ſunt ficus, uva paſſa, nuces, pira, poma, vel ex ſaccharo aut melle confecta, vel piſciculus parvulus.* Quem piſciculum putat Layman eſſe piſciculum parvum, qui fumo ſiccatus, vel aceto marceratus ſit. Idem Azor. ait *Corruptelam eſſe, ſi ii cibi ſumantur, qui potiſſimùm ad nutriendum valent, qualia ſunt legumina & piſces*: multo magis ova.

Quoad quantitatem attinet nihil certi definiri poteſt, Doctoribus hâc in re multùm diſcrepantibus. Certum eſt eam quantitatem univerſim debere eſſe modicam, & attendendam perſonarum

diverſitatem, cùm aliæ aliis, ſeu propter labores, ſeu propter corporis conſtitutionem, majore cibo indigeant. Multi hanc regulam ſtatuunt: tunc demum exceſſum fieri iſtius cænulæ, quando id quod ſumitur notabiliter excedit quartam partem ejus quantitatis, quæ ad integram cænam ſufficeret, niſi cauſa aliqua excuſet, putà diuturna occupatio, corporis infirmitas &c.

Adde quibuſdam in locis ex conſuetudine plus concedi ſæcularibus quàm Religioſis, nobilibus, quam Plebeis &c. item plus permitti in Vigiliâ Nativitatis, & in cœnâ Domini. Unde etiam in his ſpectanda eſt locorum conſuetudo, & timoratorum praxis.

Q. 8. *Quæ cauſæ excuſent à jejunio?*

R. 1. Excuſat ætatis imbecillitas, quà fit ut jejunii præceptum non obliget ante annum 21. completum; quamquam adoleſcentes, & pueri poſt annum 7. abſtinere debeant à carnibus. Pro ſenibus ut à jejunio excuſentur alii 70. alii 60. annos requirunt, quorum opinio probabilis eſt, probabilius tamen videtur pro iis non eſſe certum tẽpus conſtitutum, ſed prudentis arbitrio definiendum, quando corporis vires ob ætatem deficiant. Unde ſi conſtet aliquem ſenuiſſe, ſeu viribus defeciſſe circa annum ætatis 50. cenſeri debet exemptus à jejunio: & vice verſâ ſi certum ſit aliquem ſexagenarium adhuc integris viribus pollere, talis adhuc obligatus eſſe videtur, cùm nondum reverà ſenuerit, ſeu viribus defecerit.

Nec refert quòd juvenibus certa ætas definita ſit, ad quam ſi non pervenerint, nondum obligantur ad jejunium quantumvis robuſti ſint & integris viribus. Adeoque videatur etiam ſenibus definienda certa ætas.

Diſparitas enim eſt quod annus 21. ordinariè ſit finis adoleſcentiæ, ſeu tempus quo homines

deſinunt creſcere & augeri, ut proinde ante illud obligari non debeant ad jejunium, tametſi fortes ſint & ſani: tempus verò ſenectutis non ita definitum ſit, cùm non omnes anno ſexageſimo ſeneſcere incipiant, ſed alii citiùs alii tardiùs. Cæterum ut dixi, probabilis eſt ſententia de ſufficientiâ anni ſexageſimi; Præſertim quia ſexagenarius in dubio de ſufficientiâ virium, habet pro ſe præſumptionem, quod jam vires ſibi deficere incipiant.

2. Corporis infirmitas. Quo titulo excuſantur ægroti, convaleſcentes, & ii qui infirmâ admodum complexione ſunt. Item prægnantes, lactentes &c. De ſufficienti corporis infirmitate quando eſt dubium, conſulendus eſt medicus, aut Confeſſarius, aut alius vir doctus & prudens, ad quos tamen non pertinet diſpenſare, ſed ſolùm judicare an ea ſit infirmitas quæ excuſet à lege jejunii.

3. Paupertas. Qualis eſt eorum qui habere non poſſunt quod eis ad unicam comeſtionem ſufficiat Ita S. Tho. Sylveſt. Antonin. &c.

4. Corporis labor qui cum jejunio non facilè conſiſtit; quâ ratione excuſantur agricolæ, fabri, piſtores, ſutores, aliique ſimiles opifices, qui reipsà multùm laborant. Quod addo quia ſutores v.g. qui non ſuunt, ſed ſolùm ſcindunt corium, & materiam præparant, non videntur titulo laboris excuſandi; uti nec pictores, tonſores, ſartores &c. quorum labor non eſt ſufficiens ut eximat à jejunio. Excuſantur etiam famuli & famulæ dum majoribus laboribus occupantur. Nec ſolùm corporis, ſed etiam animi labor, ſi vehementior ſit, qualis eſt v. g. quorumdam Concionatorum, & Profeſſorum excuſare poteſt à jejunio. Cajet. Medina &c.

Notanda eſt hæc Propoſitio damnata ab Alexandro VII. inter damnatas 45. 30ª.: *Omnes*

Officiales qui in Republicâ corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum jejunio.

Huc etiam ſpectant itinerantes qui per magnam diei partem pedibus iter faciunt. Sunt qui quatuor alii qui quinque leucas noſtrates ſufficere volunt ad exemptionem jejunii: verùm id potius ſtatuendum videtur, non ſolum ex itineris longitudine; ſed etiam ex viarum difficultate, itinerantis viribus & laboris ac defatigationis magnitudine &c.

Dixi *pedibus* quia non excuſantur qui equo aut curru vehuntur, niſi fortè ob extraordinariam concuſſionem ac defatigationem difficulter jejunium perferre poſſint, Hinc damnata eſt ab Alexandro VII. hæc Propoſitio 31. *excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

5. Pietas ſive opus præſtantius & Deo gratius incompoſſibile cum jejunio, ut ſunt opera miſericordiæ tum corporalia, tum ſpiritualia, quæ non facilè conſiſtunt cum jejunio, nec in aliud tempus commodè differri poſſunt. Item juſtitiæ, ut ſi conjux debitum reddere non poſſit cùm jejunat, & periculum eſt incontinentiæ. Item charitatis, ut ſi uxor mariti iram, & rixas domeſticas effugere non poſſit, niſi cum ipſo cœnet, modò jejunium non prohibeat ex contemptu Religionis. Layman & alii apud illum.

Nota ex eodem 1. quamvis illicitum ſit non neceſſaria corporis exercitia v. g. pilæ luſum inſtituere cum propoſito jejunium idcircò ſolvendi, poſteaquam tamen corpus tali labore defatigatum eſt, ut jejunium perferri non poſſit, niſi admodùm difficulter hanc eſſe ſufficientem cauſam excuſationis.

Nota 2. Cauſas quas diximus excuſantes à jejunio,

junio, plerumque locum dumtaxat habere ſecundùm eam præcepti partem quæ alteram refectionem prohibet; rariùs autem ſecundùm eam partem quæ à carnibus abſtinere præcipit.

Denique cauſa liberans à jejunio eſt diſpenſatio ſuperioris; quando ſcilicet cauſa alia non eſt evidens ſed dubia; nam quando evidens eſt, non eſt opus diſpenſatione: at quando, etiam conſulto Medico, vel Confeſſario, aut alio viro docto remanet dubium de cauſæ ſufficientiâ, diſpenſatio petenda eſt à ſuperiore, qui pro Sæcularibus eſt Epiſcopus, vel eo abſente, aut etiam præſente, Parochus, ſecundùm cujuſque Diœceſis conſuetudinem.

CAPUT V.

De Caſtitate, & ei oppoſitâ Luxuriâ.

Castitas eſt Virtus, quæ moderatur inordinatum appetitum, uſumque venereorum, ſeu delectationis venereæ. Luxuria autem eſt inordinatus ille appetitus, vel uſus delectationis, ſeu ſensûs venerei, qui fit cum commotione ſpirituûm generationi ſubſervientium circa partes corporis venereas.

Caſtitas eſt duplex, una perfecta, ſeu perpetùa, quæ omnem venereorum uſum in perpetuum excludit. Alia imperfecta, quæ vel ad certum tempus, nempe uſque ad matrimonium ab illicitis carnis voluptatibus abſtinet, vel in ſtatu conjugii, conceſſis voluptatibus moderatè, & ſecundùm rationis præſcriptum utitur. Et hæc dicitur caſtitas conjugalis.

Luxuria etiam eſt duplex, alia imperfecta, ſeu non cōſummata, quando non intervenit ultimus terminus venereorum, ſeu deciſio ſeminis, ſed ſiſtit in deſideriis & obleɛtationibus moroſis : item in impudicis aſpectibus, oſculis, tactibus, verbis obſcœnis, &c. Alia perfecta, ſeu conſummata, quæ conſiſtit in deciſione ſeminis.

§. I.

De Luxuria imperfecta seu non consummata.

Q. 1. *Qualia ſint peccata, aſpectus impudici, tactus, oſcula, turpiloquia &c. inter ſolutos, ſeu non conjugatos?*

Nota 1. Varia hìc eſſe conſideranda, 1. an ſint aſpectus, tactus, &c. partium corporis honeſtarum, ſeu quæ non ita proximè ad libidinem provocant, ut ſunt facies, manus, pedes, crura; pectus, mammillæ &c. Quamvis & hæ ſint etiam periculoſæ. An partium inhoneſtarum, quæ proximè delectationem veneream excitant.

2. An ſint aſpectus, tactus, &c. proprii, an alieni corporis; ſi alieni, an ejuſdem, an alterius ſexûs.

3. An exerceantur animo libidinoſo, an ſine animo libidinoſo, v. g. ex neceſſitate, urbanitate, levitate, curioſitate, ſcurrilitate &c.

Nota 2. non omnem delectationem, quæ oritur ex prædictis, eſſe veneream: nam inter eos, qui ſe invicem amant amore caſto, qualis eſt v.g. parentum in filios, & horum in parentes, amplexus & oſcula, pariunt delectationem amori proportionatam, & non veneream per ſe loquendo

Itaque in hâc materiâ diſtinguenda eſt duplex delectatio: Alia venerea, quæ ſentitur in parti-

bus venereis ex commotione ſpirituum generationi ſubſervientium; alia non venerea, quæ præcisè exurgit ex proportione objecti cum ſenſu, v.g. proportione qualitatum tactilium cum tactu, viſibilium cum viſu, &c. Hanc appellant communiter organicam, ſeu ſenſibilem; & licet quantùm eſt de ſe haberi poſſit abſque ullâ venereâ commotione, puta tangendo carnem præcisè ut mollem, calidam, &c. aſpiciendo faciem ut pulchrè coloratam, bene efformatam &c. facilè tamen degenerat in delectationem veneream, maximè quando fit cum morâ, & repetitione ſeriâ, & affectatâ, & inter perſonas diverſi ſexûs.

Nota 3. Delectationem veneream, quæ ex prædictis oritur, rurſum eſſe duplicem; aliam quæ non ex illis tantùm, ſed etiam ex cogitato concubitu oritur: aliam, quę ex illis exurgit præcisè, & ibi ſiſtendo; ſive non repræſentando ſibi actum ulteriorem. His notatis,

R. 1. Prædicti aſpectus, oſcula, tactus, &c. etiam partium honeſtarum in ſolutis, ſunt mortalia, ſi in iis quæratur delectatio venerea, quæ oritur ex cogitato concubitu. Eſt omnium.

R. 2. Eſt etiam peccatum mortale, ſi quis in talibus quærat voluptatem veneream, quæ poteſt ex illis exurgere, ibi ſiſtendo, ſive non repræſentando ſibi actum ulteriorem. Ita omnes qui in delectatione venereâ deliberatè quæſitâ non admittunt parvitatem materiæ; de quo ſupra p. 1. tract. 3. c. 7. q 5. ubi quæ dicta ſunt de delectatione moroſâ, huc etiam pertinent.

Hanc reſolutionem, quantùm ad oſcula & amplexus dicit Sanchez eſſe tenendam tamquam veriſſimam; & Leſſius negat oppoſitam eſſe probabilem. De aſpectu videntur nonnulli negare, Navarrus, Cajet. Sanch. Leſſ. &c. quorum tamen plerique non loquuntur expreſsè de aſpectu

facto ex delectatione venereâ, poſſuntque explicari de delectatione organicâ, ſeu merè ſenſitivâ, de quâ notabili 2.

Prob. Reſponſio generaliter: quia, ut omnes admittunt, delectatio de concubitu cogitato, eſt mortalis; non ex eo quod ſit de objecto illicito ſecundùm ſe (cùm quis poſſit hoc modo peccare mortaliter, etiam repreſentando ſibi concubitum licitum, v.g. cum, quem exercebit cùm fuerit conjugatus) ſed ex eo præcisè quod hæc delectatio ſit venerea, ſive cum commotione ſpirituum, generationi ſubſervientium; qualis delectatio ſupponitur eſſe homini illicita pro eo ſtatu: atqui delectatio, quæ quæritur per tactus, aſpectus, oſcula, &c. eſt ejuſdem rationis cum eâ, quæ quæritur ex repræſentatione concubitûs; ergo eſt ſimiliter illicita.

Nec refert quòd tactus, aut aſpectus partis honeſtæ, non ita propinquè diſponant ad libidinem; quia in caſu noſtro ponitur voluptas carnalis, ſeu venerea eſſe deliberatè quæſita, & volita ſecundùm ſe, non autem ſolùm indirectè in causâ remotâ. Deinde quamvis iſta, cùm ex levitate, aut ſimili causâ exercentur, non ita nata ſint commovere corpus, præſertim voluntate talem delectationem refugiente, cùm tamen uſurpantur ex intentione voluptatis carnalis, videntur propinquè ad graves commotiones diſponere.

R. 3. Si prædicta non exerceantur animo venereo, neq; ſint cauſa proxima commotionis carnalis, nec periculum habeant conſenſûs formalis in delectationem veneream, non ſunt peccata mortalia, ut magis patebit ex dicendis de pollutione, & dictis de delectatione morosâ: ſi tamen ſunt cauſa remota dicti effectûs, & exerceantur ſine causâ rationabili, ſunt peccatum veniale: item ſi fiant ex levitate; curioſitate, ſcur-

rilitate &c. venialibus. Quamquam ſi iſta longiora ſint, aut crebriùs repetita, arguunt ut plurimùm affectum ad turpia, & ordinariè ſunt mortalia; quod diligenter notandum eſt, etiam pro ſequentibus; ea ſcilicet, quæ de ſe tantùm eſſent venialia, ſi repetantur, aut diutiùs protrahantur, fieri mortalia, curioſitate, aut levitate degenerante in ſenſualitatem.

Ex dictis Coll. 1. etſi delectatio organica, ſeu merè ſenſitiva circa prædicta, ſpeculativè loquendo, poſſit eſſe ſine peccato mortali; practicè tamen eſſe valdè periculoſam, & propinquam luxuriæ. Unde Filiucius & alii cenſent tactus ex ſimili delectatione, eſſe vitandos ſub mortali inter perſonas diverſi ſexûs; itemque inter adoleſcentes &c. præſertim ſi fiant cum repetitione, & morâ. Hinc ab Alexandro VII. damnata eſt hæc propoſitio tamquam ſcandaloſa: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo ulterioris conſenſûs.*

Et quamvis aliqui hâc in re diſcrimen ponant inter tactum & aſpectum, ut ante dictum eſt; fatendum eſt tamen etiam in aſpectu rem eſſe illecebroſam, & plenam periculi. Quare in ſimilibus magnoperè cavendum, ne, ut ſæpe fit, titulo curioſitatis &c. palliettur impudicitia. Addo tamen, in quibuſdam perſonis ob aſſuetudinem talia videndi non eſſe tantum periculum.

Collige 2. aſpectum partium inhoneſtarum alterius ſexûs, item tactum earundem in utrovis ſexu, maximè inter juvenes, ordinariè non eſſe excuſabiles à mortali, niſi fiant ex neceſſitate, v. g. medendi, ut magis patebit ex dicendis de pollutione; quia nempe iſta ſunt proximè excitativa libidinis.

Dixi *ordinariè*, quia hæc poſſent fieri tam obiter,

& animo ad alia intento, vel agendo de aſpectu, ex loco tam remoto, ut non eſſent proximè excitativa delectationis venereæ. Ita limitant Sanchez Sylvius & alii.

Adde tam pro his, quàm pro ſimilibus, etiam eſſe attendendam cujuſque conditionem & conſtitutionem; fieri enim poteſt, ut quis ſit tam puer, aut ſenex, aut tam frigidæ naturæ ob morbum &c. ut vel turpiſſimæ rei aſpectus non valeat illum commovere, atque ita in illo ſit tantùm veniale, quod in aliis communiter eſt mortale.

Collige 3. Specialiter circa turpiloquia 1. loqui obſcæna ex delectatione venereâ, aut cum probabili ejus periculo in ſe, vel in audientibus, eſſe peccatum mortale.

2. Secluſo omni affectu venereo, aut periculo ſcandali, turpia loqui aut narrare ſolùm ex ſcurrilitate aut levitate, de ſe tantùm eſt veniale.

3. Quia tamen in praxi ſæpe ſubeſt periculum turpis delectationis, ſive in proferente, ſive in aliis, ejuſmodi ſermones, ſaltem diuturnos, eſſe valde ſuſpectos; & ſæpe peccata mortalia. Hinc debet proferens in confeſſione dicere, non tantùm an ipſe ex inde turpiter delectatus ſit, ſed an non & aliis (uni vel pluribus) eâ ratione fuerit occaſio turpis delectationis, & peccati gravis. Non tamen ſtatim cenſendus eſt auditor peccare, ſeu in iis turpiter delectari, licet fortè rideat audiendo talia; nam fieri poteſt ut ſolùm rideat, ne habeatur inurbanus, vel ad vitanda aliorum dicteria, vel ob dicti acumen, abſurditatem, ſcurilitatem &c. Alioqui ſi ridendo res ipſas narratas approbet, & ſibi in objecto turpi complaceat, erit mortale contra caſtitatem; & ſi per ſuum riſum præbeat alteri occaſionem ſermonis continuandi cum aliorum periculo, erit peccatum ſcandali.

Idem dicendum cum proportione de cantilenis,

geſtibus impuris&c. Huc etiam revocantur libri, & picturæ incitantes ad libidinem. Item comœdiæ turpes, quas qui exhibent, peccant graviter peccato ſcandali; quia ſunt ruina proximi, cùm multi inde ad peccatum incitentur.

Q. 2. *Cujus ſpeciei ſint peccata in prædictis tactibus, oſculis, &c.?*

R. Tactus, amplexus, & oſcula, cùm ſint vera commixtio cum alio, & quædam realis inchoatio actûs conſummati, reduci ad ſpeciem actûs conſummati & conſequenter contrahere diverſam ſpecie malitiam pro diverſitate perſonarum, circa quas exercentur. Hinc in confeſſione explicanda eſt conditio perſonæ tangentis, & ejus quæ tangitur, an v. g. ſit conjugata, conſanguinea &c. Item ſi quis ſeipſum turpiter tetigerit, an alium ejuſdem vel diverſi ſexûs &c.

De aſpectu autem impudico aliter dicendum eſt; cùm enim operatio viſûs ſit magis abſtracta, de eâ dicendum ſicut alibi diximus de ſimplici delectatione moroſâ, abſque ullo deſiderio operis reipſâ ponendi; quod nempe non ſpecificetur ab objecto ſecundùm omnes ejus conditiones v. g. conjugatæ, conſanguineæ, &c. vide dicta de delectatione moroſâ.

Q. 3. *Quid dicendum de iis qui ab aliis ſe tangi permittunt?*

R. 1. Ut licitè permittant oſcula, alioſve tactus, debet ex parte ipſorum abeſſe omnis delectatio venerea, voluntaria & ejus periculum.

2. Iis ſecluſis poſſunt ea admittere quæ de ſe inhoneſta non ſunt, quamdiu non conſtat de alterius malâ intentione.

3. Si conſtet de malâ alterius intentione tenetur ex charitate peccatum illius impedire ſi poſſit citra periculum gravis damni, & ad id graviter obligatur, pro gravitate peccati alterius.

4. Aſpectus, & tactus etiam valde turpes poſſunt admitti ſi cogat neceſſitas medendi : non tamen tenetur virgo talia admittere à viro.

5. Hâc medendi neceſſitate ſeclusâ, grave peccatum eſt talia permittere.

An autem ſemper teneatur fœmina, etiam cum mortis vel infamiæ periculo talibus poſitivè reſiſtere omni modo poſſibili, variant ſententiæ, negant Navarr. Leſſ. Præpoſ. &c. affirmant alii communiùs, eo quód ab iis quę intrinſecè mala ſunt, nullus metus excuſet. Vide Baldellum l. 3. diſp. 15. n. 12. & ſeqq.

Q. 4. *Quid liceat Conjugatis circa prædicta, tactus, Aſpectus, oſcula &c.*

Suppono 1. poſſe conjuges actus illos, etiam notabiliter turpes inter ſe exercere, in ordine ad copulam conjugalem; quia cum ipſis ſit licitus actus conſummatus, etiam liciti ſunt actus prævii & ſubordinati; ſeclusâ tamen omni inordinatione quoad modum, & circumſtantias.

Suppono 2. Actus illos venereos non poſſe ab illis exerceri circa alias perſonas: imò ſi quid tale committant circa perſonam aliam à ſuâ comparte, præter malitiam repugnantem caſtitati, contrahere aliam ſpecialem contra fidem conjugalem.

Suppono 3. Pollutionem æque, aut magis eſſe illicitam conjugatis, ac ſolutis, & conſequenter prædictos actus nunquam illis eſſe licitos, cum periculo proximo pollutionis.

Reſtat igitur quæſtio, an & quale peccatum ſit in conjugibus ſecluſo pollutionis periculo, circa ſe vel compartem, prædictos actus abſque ordine ad copulam exercere animo venereo?

R. Secluſo pollutionis periculo, aſpectus, tactus, oſcula, amplexus, &c. inter conjuges, etiam cum delectatione venereâ quę ex illis exurgit; vel ex concubitu inter ſe per talia repræſenta-

to, per ſe loquendo non ſunt mortalia, licet fiant ſine ordine ad copulam. Caiet. Vaſquez, Sanchez, Medina, Præpoſ. &c. Ratio eſt quia tales actus naturâ ſuâ ſubordinati copulæ honeſtantur in conjugibus ratione ſtatûs conjugalis: nec quidquam illis deeſt, niſi quod hîc & nunc non referantur ad copulam; qui defectus debiti finis de ſe eſt tantùm venialis. Unde ſi delectatio illa referatur ad finem alium honeſtum, v. g. ad ſedandas tentationes, nequidem erit venialis, cùm finis conjugii non ſit ſola procreatio, &c. ſed etiam vitatio incontinentiæ.

Q. 5. *An iſta ſint etiam licita Conjugibus, quando eis ob aliquod impedimentum illicitus eſt actus conjugalis?*

R. 1. Si actus conjugalis ſit iis illicitus ob aliquam circumſtantiam extrinſecam, v. g. ob morbum, periculum abortûs &c. non ideo ſunt illis illiciti alii actus venerei, ſecluſo ſemper periculo pollutionis. Idemque dicendum in caſu impotentiæ ſupervenientis matrimonio. Ratio eſt, quia actus conjugalis ſecundùm ſe non eſt iis illicitus, ſed tantùm ratione impedimenti matrimonio extrinſeci, ergo nec ſecundùm ſe illiciti ſunt actus illi ſubordinati, quos ut ſuppono, impedimentum non attingit.

2. Si copula ſit illicita ratione voti, videndum quale fuerit votum: nam qui tantùm vovit abſtinere ab actu conjugali, aut non petere debitum, retinet ſuam libertatem, quoad cæteros actus. At ſi fuerit votum caſtitatis abſolutè emiſſum, tenetur abſtinere ab omnibus quæ caſtitati repugnant, ſalvo tamen jure compartis, de quo in tract. de Matrimonio. Vide Sanchez l. 9. diſp. 44. in fine.

Quòd ſi dubius ſit valor matrimonii ex impotentiâ, liciti ſunt prædicti actus venerei ad experi-

mentum potentię, ut dici ſolet in tract. de Matrim. ſi dubius ſit ex aliis capitibus, nulli actus venerei ſunt liciti manente dubio. Si autem unâ parte dubitante, altera ſit in bonâ fide, huic ſunt liciti, non alteri, niſi quatenus pertinent ad redditionem debiti, ad quod pars non dubitans jus ſuum non amiſit; ſed de his plura in tract. De Matrimonio.

Q. 6. *Quid circa prædicta liceat Sponſis de futuro?*

Certum eſt 1. illis non licere tactus aut aſpectus valde turpes ſeu partium inhoneſtarum; quia proximè ordinantur ad copulam illis graviter illicitam pro eo ſtatu, æque ac perſonis liberis.

2. Licitum illis eſſe deſiderare, & gaudere de copulâ futurâ ex motivo honeſto, v.g. prolis ſuſcipiendæ, ſeclusâ tamen delectatione venereâ ut jam dicetur.

Difficultas ergo eſt 1. an liceat illis venereè delectari de futurâ copulâ cogitatâ.

2. An ſaltem illis liceant amplexus, oſcula, &c. Causâ voluptatis quæ ex illis exurgit præcisè, ſine aliâ ulteriori intentione.

R, 1. Mortale eſt in Sponſis de futuro ſi venereè delectentur de copulâ futurâ cogitatâ. Ita Sanchez & alii communiter. Quia cùm actus conjugalis pro eo ſtatu non ſit illis licitus, non poſſunt de illo hîc & nunc venereè delectari, cùm talis commotio, quæ præſens eſt, ſit ejuſdem rationis ac ſi copula exerceretur.

R. 2. Delectatio tamen merè ſpiritualis, ſeu quæ ſolùm eſt in voluntate de actu futuro ob delectationem futuram, non eſt mortalis: quia talis delectatio nec eſt mortaliter gravis ratione objecti, cùm delectatio venerea pro eo ſtatu pro quo appetitur, non ſit mala; nec ratione ſui, quia cùm nullam carnalem commotionem afferat, ut ſupponitur, ſed ſit in ſolâ voluntate, non eſt cur repugnet ſtatui præſenti.

R. 3. Aſpectus, oſcula &c. cum delectatione venereâ quæ ex illis præciſè habetur etiam in Sponſis de futuro ſunt peccata mortalia. Ita Rebellus, Comitolus, Præpoſ. & alii apud Sanchez, quamvis plures citet pro oppoſitâ ſententiâ

Ratio eſt, quia non apparet ex quo capite tales actus ſint magis liciti Sponſis quàm ſolutis: Cùm enim ſponſalia ſint ſolùm promiſſio futuri matrimonii, nullum tribuunt jus præſens in corpus alterius in ordine ad copulam, & conſequenter neqne ad actus venereos qui de ſe ad illam ordinantur.

Q. 7. *Quid dicendum de Viduis?*

R. De illis circa actum conjugalem præteritum cum proportione dicendum eſt ſicut de ſponſis circa futurum. Nempe

1. Poſſe gaudere de copulâ præteritâ ex motivo honeſto v. g. ſuſceptæ prolis.

2. Non eſſe mortale ſi tantùm voluntate gaudeant de illâ, ob delectationem præteritam: quamquam dum ita delectantur, plerumque adeſt periculum conſenſûs in turpes motus præſentes. Unde Caiet. Layman. &c. dicunt in praxi ferè præſumendum eſſe in ejuſmodi voluntariis delectationibus inveniri peccatum mortale. Quod maximè verum eſt, quando quis cum morâ oblectatur recordatione copulæ diſtinctè repræſentatæ, & ſecundum quod eſt carni delectabilis.

3. Peccare mortaliter, ſi habeant delectationem veneream præſentem de copulâ præteritâ cogitatâ, & ei conſentiant: quia ſtatus matrimonii præteritus non magis honeſtat delectationem veneream præſentem in Viduis, quam futurus in ſponſis.

§. II.

De Luxuria consummata

Luxuria conſummatâ, ſeu perfecta, eſt duplex: alia naturalis quæ naturæ non repugnat, ut ſimplex fornicatio, adulterium, &c. in quibus ſervantur conditiones à naturâ inſtitutæ ad effuſionem ſeminis, nempe diverſitas ſexûs, identitas ſpeciei, vas debitum &c. alia innaturalis, ſeu contra naturam, quando conditiones illæ non ſervantur: tales ſunt pollutio, ſodomia &c.

Q. 1. *Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ naturalis?*

R. Sunt ſex: ſimplex fornicatio, ſtuprum, raptus, adulterium, inceſtus, ſacrilegium.

Simplex fornicatio eſt concubitus ſoluti cum ſolutâ ex mutuo conſenſu. eſt intrinſecè mala, & peccatum mortale; quia graviter repugnat convenienti ordini prolem educandi. Hinc ab Innocentio undecimo damnata eſt hæc propoſitio: *tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.*

Nota etiam hanc propoſitionem damnatam ab Alexandro ſeptimo: *qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens, commiſi cum ſolutâ grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam,*

Stuprum eſt defloratio virginis ipſâ invitâ.

Raptus eſt cùm perſona aliqua, illatâ vi, abducitur cauſâ libidinis.

Adulterium eſt cùm alteruter coeuntium cum non ſuâ, eſt conjunctus matrimonio. Quòd ſi uter-

que ſit conjugatus, gravius eſt peccatum, exprimendum in confeſſione, quia ſunt duæ injuriæ in utriuſque conjugem. Species adulterii eſt diſtincta à ſimplici fornicatione, licèt maritus conſenſerit. Hinc ab Innocentio XI, damnata eſt hæc propoſitio 50ª. *copula cùm conjugatâ conſentiente marito, non eſt adulterium*; *adeòque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.*

Inceſtus eſt congreſſus cum conſanguineâ, vel affine uſque ad quartum gradum incluſivè. Eo gravius eſt peccatum, quo gradus eſt propinquior.

Sacrilegium hîc, eſt congreſſus cum perſonâ voto caſtitatis obſtrictâ, ſive illud fuerit ſolemne, ſive ſimplex; quod probabile eſt non neceſſariò exprimi debere in confeſſione. Sicut neque ſi duplici titulo ſit obſtricta v. g. quia eſt Religioſus & Sacerdos; quia moraliter una eſt malitia.

Nota etiam eſſe ſacrilegium ſi congreſſus fiat in loco ſacro, hoc eſt in Templo aut Cœmeterio, etſi cum perſonâ ſolutâ; quia quælibet violatio rei ſacræ per actum venereum exteriorem (qualis eſt etiam pollutio, & probabiliter etiam tactus impudici) eſt ſacrilegium de quo hîc.

Res autem ſacræ, quæ ſic violantur: ſunt locus & perſona. Excuſantur tamẽ congreſſus conjugum facti in loco ſacro in quo ex neceſſitate v. g. tempore belli habitare coguntur.

Q. 2. *An diverſitas ſpecifica luxuriæ hic æque petatur à qualitate perſonæ quæ ſe accuſat, ac illius cum quâ peccavit?*

R. affirmativè; adeòque qui confitetur ſe rem habuiſſe cum alterâ, non tantùm declarare debet qualis ſit illa altera; ſed etiam cujus conditionis ipſe ſit, an conjugatus, an voto obſtrictus &c.

Q. 3. *Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam?*

R. Prima eſt *mollities*, ſive *pollutio*, cum abſque copulâ voluntariè procuratur fluxus ſeminis. Diſtinguitur à ſimplici diſtillatione, quòd hæc non ſit effuſio veri ſeminis apti ad generationem, ſed humoris cujuſdam viſcoſi ſemen imitantis; neque effunditur cum impetu ſicut pollutio, ſed ſenſim ſine ſenſu & de hâc, ſi fiat ſine motu carnali, non eſt curandum; ſi cum motu, vitanda eſt ſicut ipſe motus.

Secunda eſt *Sodomia*, quæ eſt duplex: alia perfecta, quæ eſt congreſſus duorum ejuſdem ſexûs, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœminâ. Alia imperfecta, quæ eſt congreſſus cum debito quidem ſexu, maris nempe cum fœminâ, ſed extra vas naturale. Dicitur etiam Sodomia imperfecta, ſeu incompleta, quando in ſimilibus congreſſibus non emittitur ſemen.

Tertia eſt *Beſtialitas*, quæ eſt congreſſus in quo non ſervatur identitas ſpeciei, ut ſi homo coeat cum beſtiâ, ſive ejuſdem ſexûs ſive diverſi. Graviſſimum eſt inter omnes peccatum; ad quod revocatur coitus cum dæmone.

Nota damnatam eſſe ab Alexandro VII. hanc Propoſitionem: *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideòque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem.*

Q. 4. *An congreſſus viri cum fœminâ qui fit inordinato modo, v. g. præpoſterè vel ſtando aut ſedendo &c. ſit peccatum mortale contra naturam?*

R. Eſſe mortale, quando inde periculum eſt effuſionis ſeminis extra vas; aliàs ſi abſit hoc periculum, eò quòd matrix fœminæ attrahat, & retineat ſemen, ut plerumque fit, non eſt peccatum contra, ſed præter naturam, non mortale, ſed veniale grave, & quandoque nullum, ut ſi ſubſit gravis cauſa, v. g. quia mulier eſt prægnans, vel corporis alterutrius diſpoſitio aliter fieri non patitur.

Q. 5. *An & quale peccatum ſit mollities, ſeu pollutio voluntaria ?*

Dico *voluntaria*, quia ſi non ſit voluntaria nec in ſe, nec in causâ, ut ſæpe fit in ſomno; vel quando ex cauſis naturalibus oritur, non eſt peccatum.

R. Pollutio voluntaria eſt intrinſecè mala, & peccatum mortale contra naturam, adeoque per ſe & ex genere ſuo gravius ſimplici fornicatione. Quod etiam verum eſt de reliquis ſpeciebus luxuriæ contra naturam.

Ratio eſt quia ſemen humanum naturâ ſuâ ordinatum eſt ad generationem, & propagationem generis humani, contra quem finem graviter peccatur quando ſemen effunditur extra actum naturalis concubitûs.

Nota ab Innocentio XI. damnatam eſſe hanc propoſitionem : *Mollities jure naturæ prohibita non eſt : unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.*

Coll. Nullo caſu aut prætextu, etiam vitæ ſervandæ causâ, licitum eſſe ſibi, vel alteri voluntariè pollutionem procurare, ut communiter docent Theologi, qui conſequenter docent graviter peccare medicos præſcribentes medicamenta directè tendentia ad ſeminis expulſionem, quamvis hæc fieret abſque ullâ venereâ delectatione. Quia ratio ob quam pollutio eſt per ſe mala, non eſt ſola delectatio quæ in illâ ſentitur, ſed & ipſa natura actûs ſecundum ſe graviter repugnantis fini generationis.

Immò juxta communem, non eſt licitum præbere aut ſumere medicamenta ad corrumpendum ſemen, illudque emittendum viâ ordinariâ ſine delectatione; aut etiam reſolvendum in ſanguinem, aliumve humorem aliis viis expurgandum.

Cæterùm ad vitam tuendam licebit ſemen jam

corruptum, etiam ex intentione directâ Pharmacis expellere, quamvis per accidens aliquid ſeminis non corrupti ſimul expellendum ſit: quia homo habet jus expellendi ſemen inutile generationi, ſi ipſi ſit noxium: neque hoc jure dicendus eſt privari per hoc quod ſemen utile per accidens ejiciendum ſit, ad quod habet ſe tantùm permiſſivè.

Dices 1. Poteſt homo ad ſervandam vitam partes ſui corporis abſcindere, etiam eas quæ generationi ſubſerviunt: ergo ſimiliter ſi ſemen ſit noxium, licebit illud expellere, quamvis ſit ordinatum ad ſpeciei propagationem.

R. Diſparitatem eſſe quod partes corporis primariò & per ſe pertinent ad conſtitutionem totius, ac proinde licitum ſit de illis diſponere ad ejus conſervationem; ſemen verò ſolùm inſtitutum ſit ad ſpeciei propagationem, quo proinde utendum non eſt, niſi modo ad ſpeciei propagationem idoneo.

Adde ex Sanchez, Granad. &c. quod, ſi hoc vel illo caſu, qui afferri poſſunt, concederetur poſſe ſeminis effuſionem procurari, periculum eſſet nè ob vehementem delectationem quæ in eâ ſentitur, talis conceſſio extenderetur ad plures alios caſus contra bonum ſpeciei, quæ ratio ceſſat in abſciſſione membri, quæ cûm ſecundùm ſe moleſta ſit, periculum non eſt ne extendatur ultra caſus à naturâ conceſſos.

Dices 2. Docent varii licitum eſſe ad procurandam ſalutem matris, fœtum nondum animatum medicamentis ejicere, etiam ex directâ intentione, quia, inquiunt, cenſetur injuſtus aggreſſor matris. Imò docet quiſpiam apud Dianam. 3. p. tr. 5. Reſ. 11. poſſe procurari abortum fœtûs nondum animati ad vitandam infamiam matris, vel præveniendam nimiam difficultatem partûs: ergo

ergo multò magis licebit ejicere ſemen noxium, quod eo ipſo quod ſuâ abundantiâ noceat, cenſeri poteſt injuſtus aggreſſor.

R. Negandum eſſe utrumque caſum antecedentis, & 2um. quidem ut improbabilem, præſertim ex quo ab Innocentio XI. damnata eſt in terminis hæc propoſitio: *licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

Et verò ſi id liceret, aperiretur via innumeris occultis flagitiis.

Primum autem caſum licet admittant Doctores quidam non ignobiles, eorum tamen opinio non videtur admittenda, nec ſatis probabilis, ſaltem à ratione, cùm fœtus nondum animatus immediatiùs ſubſerviat generationi, & propagationi ſpeciei.

Deinde ſi id liceret aliquo caſu facilè extendi poſſet ad alios caſus, v. g. ad tuendum honorem matris, ad vitandum periculum quod experitur in partu &c. & ſi id admitteretur in hoc caſu, facilè admitteretur in altero damnato, ob paritatem rationis.

Adde illorum rationem nimiùm probare: ſimiliter enim dici poſſet quòd fœtus jam animatus matrem injuſtè aggrediatur, & ità licebit illum, etiam ex intentione directâ expellere aut extinguere ad ſervandam matrem, quod nemo dixerit.

Nota pro praxi ſæpe pollutioni voluntariæ, quæ de ſe eſt peccatum contra naturam, addi aliam malitiam exprimendam in confeſſione, petitam vel ex conditione perſonæ ſe polluentis, ſi eſt perſona ſacra, ſi conjugata &c. vel ex eo quòd ſe polluat ex affectu copulæ cum quâdam; quæ ſi ſit ſoluta, ſpeciem habet fornicationis, ſi ſacra ſacrilegii &c., item ſi fiat per tactus mutuos cum aliâ perſonâ; quia hæc circumſtantia pertinet ad

ſpeciem ſodomiæ, ſi ſint ejuſdem ſexûs; ad fornicationem ſi ſint ſolutus & ſoluta &c. idem dic cum proportione de aliis luxuriæ peccatis.

Q. 6. *An & quando licitum ſit ponere cauſam ex quâ prævidetur ſecutura pollutio?*

R. 1. Eſt peccatum mortale abſque cauſâ juſtâ, & aliquo modo neceſſariâ ponere actionem ex quâ tamquam cauſâ proximâ prævidetur ſecutura pollutio, quamvis ipſa non intendatur. Eſt omnium. Et ratio eſt, quia tali caſu pollutio cenſetur perfectè voluntaria, non in ſe, ſed in ſuâ causâ. Recole dicta p. 1 tr. 3. c. 7. q. 3. diſpoſitiones autem ſeu cauſæ proximæ pollutionis ſunt aſpectus vel contactus valde turpes, turpis cogitatio cum vehementi commotione carnis &c.

Quòd ſi, ut ibidem dictum eſt, adſit urgens cauſa, & quædam moralis neceſſitas ex officio, vel pietate actionem talem ponendi, non erit peccatum periculo pollutionis ſe exponere, etſi actio quæ ponitur, videatur etiam propinquè excitatura ad pollutionem: quia tali caſu pollutio non cenſetur voluntaria etiam in causâ, ſed tantùm permiſſa. Idem dicendum de inchoatâ jam actione non deſerendâ ob inſurgentem pollutionem, niſi quòd tunc elicienda ſit diſplicentia ad avertendum periculum conſensûs.

R. 2. Non eſt peccatum mortale ponere actionem ex quâ tamquam cauſâ remotâ prævidetur pollutio ſecutura: idque, quamvis actio aliunde ſit illicita in alio genere quàm luxuriæ. Ratio eſt quia ſuppoſitâ naturæ propenſione ad ſeminis effuſionem, & difficultate illam cavendi, meritò cenſetur non voluntaria, quando non ſequitur ex intentione directâ, aut poſitione cauſæ propinquæ, ſed velut ex naturali conditione ſubjecti. Eſt tamen eo caſu aliqua inordinatio, & peccatum veniale, ſi actio ſecundum ſe non ſit licita, & rationabilis.

Hinc ex communi DD. ſenſu, ſecluſo affectu erga ipſam pollutionem & delectationem veneream, & periculo formalis conſensûs in illam, non peccant:

1. Chirurgus, Confeſſarius, Studioſus caſuum conſcientiæ &c. etſi prævideant pollutionem ſecuturam ex ſuis functionibus.

2. Neque is qui juxta morem patriæ figit oſculum urbanitatis.

3. Qui valetudinis cauſâ utitur cibis, aut medicamentis quæ prÿter intentionem, pollutionem excitent.

4. Qui ob honeſtam recreationem equitat, aut aliter corpus exercet cum ſimili periculo. Item qui commoditatis cauſa certo ſitu dormit &c.

5. Conjuges qui cum ſimili periculo in ſignum amoris mutui ſe amplexantur, oſculantur &c.

Cæterùm in his & ſimilibus tenetur homo pollutionem inſurgentem reprimere quantùm poteſt, retentâ tamen, ſi velit, actione; putà imaginationem alio divertendo &c. itemque de illâ diſplicentiam concipere. Imò cùm in pollutione longè majus ſit periculum conſensûs quàm in ſimplicibus motibus ſenſualitatis, ſæpè poteſt eſſe obligatio, etiam gravis, actionem aliquantùm intermittendi; præſertim quando actio eſt de ſe illicita, & aliquo modo ad luxuriam excitans.

Varii tamen cenſent poſſe hominem permiſſivè ſe habere ad fluxum ſeminis, quando jam deciſum eſt v. g. inchoatam in ſomno ſeminis emiſſionem in vigiliâ non impedire; præſertim ſi ſine incommodo v. g. morbi periculo impediri non poſſit; dummodo (quod in hâc materiâ ſemper intelligendum eſt) abſit periculum conſensûs, aut complacentiæ.

Q. 7. *An liceat ex motivo honeſto v. g. cauſâ ſanitatis pollutionem optare, aut de eâ gaudere?*

R. Secluſo affectu libidinis, & conſenſûs periculo, licitum eſt ob finem honeſtum ſimplici affectu deſiderare ut pollutio ſpontaneè ex cauſis naturalibus proveniat v. g. in ſomno. Ita Adrianus, Navarrus, Sanchez, Vaſq. Leſſius &c. contra Sotum, & quoſdam alios. Modo tamen quod monet Navarrus nullum ſit probabile periculum, ne tale deſiderium ſit cauſa futuræ pollutionis.

Similiter licitum eſt de eâ gaudere, dummodo non cauſâ voluptatis. Ratio eſt, quia pollutio ut ex cauſis naturalibus proveniens, non eſt in ſe peccatum, cùm non ſit actus hominis, aut potentiæ voluntati ſubjectæ, ſed habet ſe ut ſudor, & aliæ evacuationes merè naturales: ergo ex fine honeſto licitum eſt illam optare, & de præteritâ gaudere. Quamquam ejuſmodi deſiderium & gaudium Leſſius & alii meritò diſſuadeāt ob periculum.

Dices 1. non licet optare quod non licet procurare.

R. Id non eſſe univerſaliter verum: nam ſi perſona aliqua ſit Reipublicæ pernicioſa, licitum eſt ob bonum commune ſimplici affectu mortem illius deſiderare, aut de eâ gaudere, quamvis non liceat illam procurare.

Dices 2. Non licet optare homicidium aut fornicationem in ſomno faciendam, etiam ob finem honeſtum: ergo nec pollutionem.

R. Diſparitatem eſſe quod pollutio viâ naturali proveniens, non ſit actus hominis, nec ejus voluntati ſubjectus: at homicidium & fornicatio, naturâ ſuâ ſunt actus humani objectivè mali, quia ſunt actus potentiæ voluntati ſubditæ. Unde, ut notant Diana, Oviedus &c. ſi agatur de ipſâ procuratione pollutionis quæ accideret in ſomno, facta manibus ſomniantis, ſic ut eſſet actus hominis, æquè non licet eam deſiderare, aut de illâ gaudere, etiam ob finem honeſtum, ac de ho-

micidio aut fornicatione factis in ſomno.

CAPUT VI.

De Virtutibus Temperantiæ annexis, & Vitiis eis oppoſitis.

ASſignari ſolent hæ ſex: Manſuetudo, Clementia, Humilitas, Studioſitas, Modeſtia, Eutrapelia, vide Laym. l. 3. ſect. 4. in fine.

Q. 1. *Quid Manſuetudo, & quæ ſint vitia ei oppoſita?*

R. *Manſuetudo* eſt virtus quæ paſſionem iræ moderatur, ſic ut in illâ nec excedat, nec deficiat. Ira igitur, quæ definitur deſiderium vindictæ, non eſt ex objecto ſuo mala, quaſi nunquam poſſit eſſe bona (ut ſunt invidia, odium, inimicitia erga proximum) ſed ex objecto indifferens ut & benè & malè inſtitui poſſit.

Manſuetudini per exceſſum opponitur peccatum iracundiæ, quod duobus modis committitur.

1. Ex parte objecti, cùm quis vindictam deſiderat ei qui non meruit, vel pluſquàm meruit. Et hoc peccatum ex genere ſuo mortale eſt; quippe juſtitiæ vel charitati oppoſitum.

2. In modo iraſcendi, cùm quis nimiùm intra ſe excandeſcit, vel ſignis externis, pluſquam oportet, iracundiam ſuam manifeſtat. Et hâc ratione per ſe loquendo tantùm eſt veniale, quamvis ſæpe per accidens fiat mortale, ratione ſcandali, blaſphemiarum, injuriarum, maledictorum &c. quæ ex nimiâ iræ commotione naſcuntur.

Eidem per defectum opponitur nimia diſſimulatio, cùm ex iræ defectu mala impunita ma-

nent, nec quis iraſcitur, ubi, quando, & quibus oportet ut juſtitia ſervetur, vitia corrigantur &c.

Q. 2. *Quid clementia, & quid ei opponatur?*

R. *Clementia* eſt per quam homo poteſtate præditus, ex animi lenitate, propenſus eſt magis ad puniendum citra meritum culpæ, quatenus recta ratio permittit, quàm ultra meritum.

Clementiæ per exceſſum opponitur *crudelitas*, cùm quis ex animi auſteritate propenſus eſt ad exigendam pœnam ultra meritum culpę. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale, quia contra charitatem & juſtitiam.

Eidem per defectum opponitur nimia lenitas, cùm quis pœnam remittit, aut mitigat, ubi ſeveritate utendum recta ratio dictat ad delinquentem emendandum, ſervandam diſciplinam &c. Eſt peccatum grave vel leve pro ratione damni, quod ex remiſſâ animadverſione provenit.

Q. 3. *Quid Humilitas, & quæ vitia ei opponantur?*

R. *Humilitas* eſt quæ temperat appetitum tendendi ad excelſa. ita S. Th. q. 161.

Ei per exceſſum opponitur *Superbia*, quæ eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ & celſitudinis.

Per defectum Humilitati opponitur nimia ſui abjectio, cum contemptu, aut neglectu proprii muneris, vel jacturâ ſtatûs in quo quis poſitus eſt, vel incommodo eorum quibus præeſt, ut ſi Epiſcopus infra ſimplicem Presbyterum, Pater infra filium, Superior infra inferiorem ſe abjiciat.

Superbiæ ſunt quatuor ſpecies, quas numerat S. Th. q. 162.

1. Si bona tua æſtimes, quaſi ex te ipſo habeas, & non à Deo.

2. Si bona à Deo accepta æſtimes tamquam propriis meritis debita.

3. Si æſtimes te bona habere quæ non habeas, vel majora quàm habeas.

4. Si contemptis aliis, videri velis ſingulariter habere quæ habes.

Notat autem S. Thomas a. 4. ad 1. ad eas ſuperbiæ ſpecies non eſſe neceſſe ut quis reverà judicet ſe bona à ſeipſo habere, aut ob propria merita, non ex Dei gratiâ accepiſſe (hoc enim eſſet hæreticum) ſed quod conſideratis bonis ſuis ſine relatione ad Deum, perinde ſe gerat, & animo ſe extollat, ac ſi propriâ induſtriâ acquiſiiſſet.

Q. 4. *Quid ſtudioſitas, & quæ ei opponantur?*

R. *Studioſitas* eſt virtus quæ moderatur naturalem appetitum ſciendi. De eâ agit S. Th. q. 166.

Ei per exceſſum opponitur *Curioſitas*, quæ eſt ſuperflua cognoſcendi, aut diſcendi cura.

Dupliciter fit. 1. Ex parte objecti, ſi cupias cognoſcere ea, quæ ad te non pertinent.

2. Ex parte modi ſi ea quæ ad te pertinent velis addiſcere mediis illicitis, aut intempeſtivis animæ aut corpori noxiis laboribus. Eſt peccatum ex genere ſuo veniale, & interdum per accidens mortale.

Per defectum ei adverſatur *Negligentia*, quæ eſt voluntaria omiſſio diſcendi ea, quorum cognitio ad cujuſque ſtatum, aut officium pertinet. Eſt peccatum grave vel leve prout obligatio ſciendi gravis aut levis fuerit.

Q. 5. *Quid & quotuplex modeſtia; & quæ vitia ei oppoſita?*

R. *Modeſtia*, alia eſt, quæ verſatur circa motus & geſtus corporis externos, eoſque ſecundùm rationis præſcriptum moderatur.

Ei ſecundùm exceſſum opponitur *Petulantia*, & *Inſolentia*, ut ſi quis vocem nimiùm exaltet; geſ-

tus, aut greſſus inſulſos habeat; ſi Religioſus mores aulicos ſectetur &c.

Secundum defectum ei opponitur *morum ruditas* & incompoſitio.

Alia verſatur circa cultum externum, obſervatque mediocritatem in corporis ornatu, & rerum externarum apparatu.

Contra hanc peccatur ſecundùm exceſſum.

1. Excedendo modum conſuetum & convenientem in veſtibus, conviviis, ſupellectile &c.

2. Externo cultu utendo libidinosè, quod videtur eſſe mortale.

Nota vitia contra modeſtiam, quæ ex genere ſuo poſſent eſſe venialia, interdum tamen per accidens mortalia fieri ratione ſcandali, nocumenti &c.

Q. 6. *Quid Eutrapelia, & quomodò contra illam peccetur?*

R. Eutrapelia eſt virtus quæ in dictis & factis ludicris ad animorum recreationem, corporumque relaxationem inſtitutis, decorum ſervat.

Contra illam peccatur per exceſſum dupliciter.

1. Ratione objecti, ſi immodeſtum, petulans, contumelioſum, injurioſum, obſcœnum &c. jocandi, aut ludendi genus uſurpetur.

2. Ratione circumſtantiarum, ſi genus ludendi, aut jocandi, alioqui honeſtum ac liberale, exerceatur loco, tempore non debito, vel contra dignitatem perſonæ ludentis, aut jocantis; vel ejus coram quâ ludus exercetur.

Contra eandem peccatur per defectum, cùm quis ob animi auſteritatem, moroſitatem, aut duritiem, tum ſibi ipſi, omnem ludum ac jocum ad animi corporiſque recreationem honeſtam interdicit; tùm aliis impedire conatur. Videatur S. Thom. q. 168.

TRACTATUS II.

DE JUSTITIA ET JURE.

CAPUT PRIMUM.

De Juſtitiâ in genere.

JUSTITIA aliquando ſumitur pro complexo omnium virtutum. Ita ſumitur Matt. 5. *niſi abundaverit juſtitia veſtra &c.* aliquando pro charitate aut gratiâ ſanctificante. Ita ſæpe Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. hinc dicitur juſtus, qui eſt in gratiâ. Hic juſtitiam ſumimus prout una eſt ex virtutibus Cardinalibus. De quâ

Q. 1. *Quid Juſtitia, & quod ejus objectum?*

R. Iuſtitia definiri ſolet, conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Seu quâ quis ita affectus eſt, ut ſemper paratus ſit jus ſuum cuique tribuere.

Nota tres eſſe præcipuas acceptiones juris: nam 1. Ius accipitur pro lege, ſic ſumptum dividitur

in jus naturale, & jus poſitivum, in jus Canonicum, & jus Civile &c.

2. Accipitur pro legitimâ facultate aliquid faciendi, obtinendi, alienandi, &c. Sic dicitur quis habere jus ad hoc vel illud faciendum, obtinendum &c.

3. Accipitur pro juſto, ſeu commenſurato juri alterius. Et hoc ſenſu S. Tho. q. 57. a, 1. dicit: illud in opere noſtro juſtum dici, quod reſpondet alteri ſecundùm æqualitatem. Et ita ſumitur ly *jus* in definitione juſtitiæ. Itaque

Objectum materiale juſtitiæ, eſt jus ſumptum pro juſto ſtrictè, ſeu pro eo quod eſt commenſum & adæquatum juri alterius; quia juſtitia per ſe, & directè tendit in juſtum ſeu æquale juri alterius illi tribuendum.

Objectum formale ultimatum juſtitiæ eſt ſpecialis honeſtas, quæ elucet in eo quod eſt tribuere alteri jus ſuum.

Q. 2. *An illud circa quod verſatur Iuſtitia, ſit ſemper debitum ex præcepto juſtitiæ?*

R. Affirmativè. Hinc gratitudo, benignitas, liberalitas, juxta S. Th. q. 80. deficiunt à ratione juſtitiæ, quia deficiunt à ratione debiti propriè dicti. Et verò hoc exigit nomen juris poſitum in definitione juſtitiæ: neque enim redditur alteri jus ſuum, niſi cùm redditur quod ei debitum eſt, cùm jus propriè dictum ex parte unius, & debitum ſtrictum ex parte alterius, ſint correlativa.

Q. 3. *Quomodo dividatur juſtitia?*

R. Dividi in generalem, quæ & legalis dicitur, & in particularem: particularis in commutativam & diſtributivam.

Iuſtitia legalis eſt virtus quæ inclinat hominem qui eſt pars communitatis, ad præſtanda ea omnia quæ ſunt legibus conſtituta in ordine ad bonum commune.

Dicitur *generalis*; quia ordinatur ad communitatem, & reſpicit jus publicum quod communitas habet ad actiones & bona partium, ſeu privatorum.

Dicitur *legalis* in quantum verſatur circa omnia quæ legibus ſunt conſtituta in ordine ad bonum commune. Eſt virtus ſpecialis ab aliis diſtincta; quia habet objectum formale diſtinctum ab objecto omnium aliarum virtutum, nempe honeſtatem relucentem in eo quod eſt reſpicere bonum commune ut ſic, idque ex jure communitatis, ex debito proprio, eo quòd ſit pars communitatis ejus commodis fruens &c.

Q. 4. *An juſtitia legalis ſit ſpecies juſtitiæ propriè dictæ?*

R. Eſſe ſpeciem juſtitiæ, etiam propriè dictæ, ſi hæc paulò latiùs accipiatur, prout abſtrahit à jure inductivo, & non inductivo obligationis ad reſtitutionem. Alioqui cùm juſtitia legalis non reſpiciat jus ſtrictiſſimè ſumptum, cujus violatio inducat obligationem reſtitutionis, aut reparationis, dici poteſt non eſſe ſpecies juſtitiæ ſtrictiſſimè ſumptæ. Quòd autem jus illud quod reſpicit juſtitia legalis non ſit jus ſtrictiſſimè dictum, patet, quia alioqui qui contra Reipublicæ prohibitionem merces deferret extra Patriam, aut qui in caſu neceſſitatis vitam non exponeret pro Republicâ teneretur Reipublicæ ad reſtitutionem, quod dici non debet.

Q. 5. *Quid ſint juſtitia commutativa & diſtributiva?*

R. *Juſtitia commutativa* eſt, quâ æquale pro æquali commutatur v. g. dùm pro re venditâ datur æquale pretium; pro debito, aut damno alteri illato æqualis ſatisfactio. Ea maximè verſatur circa commercia, in quibus res pro rebus, jura pro juribus cum æqualitate commutantur.

Juſtitia diſtributiva eſt quæ in diſtributione bonorum communium, aut onerum providet ut illa proportionatè ad cujuſque meritum, hæc ad cujuſque vires diſtribuantur.

Hæc juſtitia maximè pertinet ad Principem, vel caput Communitatis, ad quem præcipuè pertinet ea diſtributio, quæ tamen etiam privatis demandari poteſt.

Q. 6. *An utraque ſit vera ſpecies juſtitiæ?*

R. affirmativè. Quia ex unâ parte univocè participant rationem communem juſtitiæ, quæ eſt dare cuique ſuum; & aliundè differunt objectis formalibus, cùm per ſe intendant diverſam æqualitatem: nam commutativa reſpicit æqualitatem arithmeticam, ſive rei ad rem precisè, putà pretii ad rem venditam: diſtributiva verò reſpicit æqualitatem geometricam quæ conſiſtit in proportione rei diſtribuendæ cum dignitate perſonæ cui diſtribuenda eſt; factâ comparatione ad alios, quibus etiam jus competit in bona diſtribuenda.

Q. 7. *Quid juſtitia vindicativa?*

R. Eſt virtus inclinans Iudicem ad reum ex merito puniendum. Objectum ejus materiale eſt punitio ex merito facienda: formale, honeſtas qua decet reum ex merito puniri. ſubjectum eſt Iudex legitima authoritate conſtitutus, ad quem ſolum, non ad privatos pertinet vindictam de delictis ſumere

CAPUT II.

De Iure Civili & Canonico.

Q. 1. *Quid ſint ?*

R. *Ius Civile* eſt quod ſeculari ſeu laïcâ authoritate eſt conſtitutum.

Ius Canonicum, quod conſtitutum eſt authoritate Eccleſiaſticâ.

Illud autem dicitur Ius Civile commune quod per totum Imperium ſeu Regnum in Regimine politico, per ſe loquendo ſervandum eſt

Ius commune Canonicum, ſeu Eccleſiaſticum, quod per totam Eccleſiam debet obſervari.

Q. 2. *quid ſit Corpus Iuris Civilis & quas habeat partes ?*

R. Eſt Ius Civile ſeu Cæſareum quod à Rep. Romanâ inchoatum & ab Imperatoribus præſertim Iuſtiniano ſeniore auctum, & in eum qui modo extat, ordinem redactum eſt.

Quatuor ſunt ejus partes, nempe Inſtituta, Digeſta, Codex, Authenticæ, ſeu Novellæ. De quibus Iuriſtæ.

Q. 3. *quæ ſint partes Iuris Canonici ?*

R. Ius Canonicum ſic dictum à Canonibus ſeu regulis Eccleſiaſticis quibus conſtat, continet quinque partes, Decretum, Decretales, Sextum Decretalium, Clementinas, Extravagantes. Quarum explicationem, & modum quo citantur, vide apud Vivaldum, Peſantium & alios.

Q. 4. *An, & quomodo jus ſeu Canonicum ſeu Civile obligent ?*

R. jus canonicum aliquid præcipiens obligat etiam in conſcientiâ juxta gravitatem materiæ.

Dum verò ſolùm proponit Sanctorum Patrum placita, aut pœnam ſtatuit contra deprehenſos, nihil præcipiendo, non obligat ſaltem ſub peccato, ſed vel ſub pœnâ tantùm, vel ſolùm ſuadet. Idem dicendum de Civili pro locis ubi eſt receptum, & non conſuetudine particulari abrogatum; nec contrarium canonico, à quo utpote majoris authoritatis ſæpe corrigitur.

Cùm autem, ſive in Civili, ſive in Canonico aliqua ſubindè inter ſe pugnantia occurrunt, poſteriora ſunt præferenda prioribus, quæ cenſeri debent à poſterioribus correcta.

CAPUT III.

De Dominio, Uſu, Uſu-fructu, Servitute & aliis ſpeciebus Juris realis.

Jus ſumptum pro facultate aliquid faciendi, alienandi &c. Dividitur in jus in re, ſeu jus reale, & jus ad rem.

Ius in re, eſt per quod res ipſa obligata eſt, ac proinde parit actionem realem.

Ius ad rem eſt jus circa rem aliquam; per quod tamen res ipſa non obligata eſt, ac proindè non parit actionem realem, ſed tantùm perſonalem.

Actio autem, de quâ hîc, eſt quâ quis proſequitur id quod ſibi debetur.

Alia eſt realis, alia perſonalis. *Realis* ſeu in rem, eſt quę immediatè tendit in rem ipſam, eamque ſequitur, adeò ut ad quemcùmque poſſeſſorem pervenerit, ſeu bonæ, ſeu malæ fidei, repeti poſſit ac vindicari.

Actio perſonalis, ſeu in perſonam, eſt quæ immediatè tendit in perſonam quæ ex contractu, vel

aliâ ratione obligata eſt ad rem aliquam tradendam, quamvis rem, illam, ad quam habes jus, perſona illa poſſidere deſierit.

Iuris realis ſpecies, ſunt Dominium, Uſus, Uſus fructus Servitus, Emphiteuſis, Feudum, Pignus, Hypotheca; quibus affinis eſt poſſeſſio. De Emphiteuſi, Fundo, pignore, & Hypothecâ dicetur infra, ubi de Contractibus.

§. I.

De Dominio.

Q. 1. *Quid Dominium & quotuplex.*

R. Dominium, generaliſſimè ſumptum eſt duplex, unum juriſdictionis, alterum proprietatis.

Dominium juriſdictionis eſt poteſtas gubernandi ſibi Subditos, ſeu ſæculares, ſeu regulares. De hoc Dominio hic non agitur, ſed de dominio proprietatis. Igitur

Dominium proprietatis eſt jus diſponendi de re aliquâ tamquam ſuâ in proprium commodum, niſi lege prohibeatur.

Per ly *in proprium commodum* excluditur dominium juriſdictionis, quod non tam eſt in commodum diſponentis, quàm ſubditorum.

Dividitur Dominium proprietatis in perfectum ſeu plenum, & in imperfectum, ſeu non plenum. *Perfectum* complectitur proprietatem rei, & emolumentorum ejus. *Imperfectum* eſt cui alterutrum deeſt, id eſt quod habet proprietatem rei ſine emolumentis, vel emolumenta ſine proprietate.

Hinc ſubdividitur in directum, & utile.

Dominium directum eſt dominium proprietatis nudæ ſine fructu & emolumentis. Tale dominium retinet proprietarius in eâ bona quæ alteri tradidit in feudum ſeu in emphiteuſim.

Dominium utile eſt jus ad emolumenta ſine proprietate rei. Tale eſt dominium quod habet Emphiteuta, feudatarius, &c.

Nota tamen Dominium directum non ita dici nudam proprietatem ſine fructu &c. Quaſi dominus directus careat omni prorſus utilitate, cum vi illius accipiat certa tributa aut recognitiones ſive reales, ſive honorarias ſeu certa obſequia & homagia; Item certa jura in caſu mortis, venditionis &c. Sed quia caret utilitate fructuum ordinariorum, quos per dominium utile perciperet

Q. 2. *Quænam in genere requirantur ad acquiſitionem dominii?*

Nota duo eſſe rerum genera, unum earum quæ nullius ſunt domini, ut aves, feræ &c. Alterum earum quæ ſunt ſub alicujus dominio, ut ager, domus &c.

R. 1. Ut acquiratur dominium rei quæ antea nullius erat, ſufficit ſola rei apprehenſio facta animo faciendi rem ſuam. Intellige niſi de eâ re, jure civili aliter ſit conſtitutum, ut v. g. in theſauris &c.

R. 2. Ut acquiratur dominium rei quæ ante fuit alicujus domini, ſive ut dominium transferatur ab uno ad alium, ordinariè duo requiruntur ſcilicet titulus, & traditio. per titulum hic intelligitur cauſa, ſeu ratio propter quam dominium ab uno ad alium transfertur; qualis eſt venditio donatio &c. porro hic titulus plerumque ſupponit voluntatem, & conſenſum prioris domini, ut in exemplis jam allatis aliquando tamen habetur ſine conſenſu prioris domini, ut fit in præſcriptionibus.

Traditio etiam ordinariè requiritur, non quidem jure naturæ (ſecundum quod ſufficit conſenſus mutuus ſigno externo expreſſus) ſed jure civili. Hinc ipſo etiam jure civili variis caſibus traditio

non requiritur v. g. in hæreditate, cujus Dominium acquiritur ipsâ aditione, hoc eſt, acceptatione hæreditatis, abſque vllâ traditione; Item in legato, in Beneficiis &c.

Sæpe etiam non requiritur traditio realis, ſed ſufficit traditio ficta ſeu civilis, quæ fit vel per inſtrumentum, vel per traditionem clavium, aut ſimilem aliam actionem, lege, vel conſuetudine ad hoc inſtitutam.

Dicitur *ficta* ad diſtinctionem traditionis realis, quâ res ipſa datur alteri in manus, vt plerumque fit in mobilibus.

§ II.

De Usu, Et Usu-fructu.

Q. 1. *quid ſint?*

R. 1. Uſus eſt jus dumtaxat utendi re alienâ, ſalvâ ejus ſubſtantiâ.

Dicitur 1. *jus vtendi:* quia hîc definitur *uſus juris*, non *uſus facti*, qui non ſolet à DD. appellari uſus.

Dicitur 2. *ſalvâ ejus ſubſtantiâ* ad ſignificandam obligationem uſuarii, qui non tantùm alienare non poteſt, aut conſumere rem, cujus habet uſum; ſed illam debet conſervare integram.

Ex quo ſequitur uſum propriè dictum, non eſſe eorum quæ ipſo uſu conſumuntur, ut ſunt panis, vinum &c. Imò & pecunia quæ ipſo uſu, aſſiduâ permutatione, quodammodo extinguitur. Qui habet ſimplicem uſum dicitur uſuarius, qui vſumfructum, fructuarius ſeu uſu-fructuarius

R. 2. Uſus-fructus eſt jus utendi-fruendi re alienâ, ſalvâ ejus ſubſtantiâ. Per ly *utendi-fruendi* diſtinguitur à ſimplici uſu, qui eſt ſine fructu; ſive jus vtendi, & non fruendi.

Q. 2. *Quid poſſit vſuarius circà rem cujus habet*

vſum, & vſu-fructuarius circa rem cujus habet vſum-fructum ?

Nota, nomine *fructuum* hîc intelligi, 1. reſpectu Fundi, quidquid in eo naſcitur, ut ſunt fœnum, ſegetes, virgulta, arbores cæduæ, quales ſunt ex quæ vetuſtate caſum minantur. Grandes tamen arbores, uti & fructiferæ non veniunt nomine fructuum.

Item fructus fundi ſunt lapides, metalla, arenæ &c. quæ creſcunt in fundo. Item proventus venationum, aucupiorum &c. Theſauri non cenſentur fructus fundi.

2. In animalibus fructus ſunt, fœtus, lana, lac &c.

R. 1. Uſuarius circa rem cujus habet uſum ſimplicem, poteſt ſequentia 1. Si res habeat aliquem uſum diſtinctum à fructu, poteſt re uti, non tamen ejus fructum percipere. Hinc qui uſum habet jumentorum, pecorum &c. poteſt iis vti ad vehendum, arandum &c. Sed neque fœtu, neque lanâ, neque lacte niſi modico uti poteſt; neque elocationis fructum percipere &c. Quia hæc ad fructum pertinent.

2. Qui fundi nudum uſum habet, poteſt uti oleribus, pomis, fœno, ſtramentis, lignis ad uſum quotidianum ſuæ familiæ, etiam factâ proviſione annuâ: non poteſt tamen hoc jus vendere, aut donare alteri; neque dictis rebus ad quæſtum aut lucrum uti; quod poteſt uſu-fructuarius, ut jam dicetur.

Datur tamen quidam uſus ſpecialis ædium, qui dicitur *habitatio*, quo quis habet jus in re ad ædes alienas non ſolùm incolendas, ſed & alteri locandas. Differt autem à ſimplici uſu ædium, quod qui hunc uſum habet, tantùm poſſit cum ſuis eas incolere, non autem hoc jus transferre ad alium.

R. 2. Uſu-fructuarius omnem omninò fructum

tei, atque utilitatem percipit, ita ut Dominus ſeu Proprietarius conceſſo alteri ſuæ rei uſu-fructu, nihil in eâ preter Proprietatem retineat.

Hinc 1. omnes illi fructus de quibus ſuprà, ſunt uſu-fructuarii. Quoad arbores tamen quæ ſunt in fundo, cujus habet uſum-fructum, ſi ſint fructiferæ, iis frui non poteſt, ſed tantùm earum fructibus: immò ſi vi ventorum evellantur, ſunt Proprietarii, & uſu-fructuarius tantùm poteſt inde ſumere ad ſuum & villæ uſum. Si tamen demortuæ eſſent, ſpectant ad uſu-fructuarium, ſed debet earum loco alias ſubſtituere. In ſylvis cæduis poteſt ſe gerere ut pater-familias, cædendo quot annis certam portionem, arbores tamen grandiores, niſi valde vetuſtas, & ferè inutiles cædere non poteſt.

Porro ad vitandas difficultates inter Proprietarium, & uſu-fructuarium eâ in re, ſolent aſſumi arbitri, qui deſignent quid cædi vel non cædi poſſit.

2. Poteſt uſu-fructuarius his omnibus per ſe frui vel ea aliis cedere, locare, vendere &c. Sic tamen ut non poſſit jus ſuum, ſed uſum tantùm ſeu perceptionem ſui juris alienare, adeoque manet ipſe ſemper uſu-fructuarius. Unde etiam uſus-fructus ejus morte finitur, & non morte alterius.

Nota uſu-fructuarium non ante fieri fructuum dominum, quàm eos perceperit. Quamdiu igitur à terrâ non ſeparantur, cenſentur pars fundi, adeoque ſpectant ad Proprietarium. Unde ſi iis jam maturis, ſed nondum collectis, uſu-fructuarius deceſſerit, omnia ſunt Proprietarii.

Q. 3. *Quæ ſint obligationes uſu-fructuarii?*

R. 1. tenetur uti re, cujus uſum-fructum habet, ſicut bonus Pater-familias utitur re ſuâ, ac proinde non poteſt v. g. uti domo ad indignos uſus, non poteſt arbores non cæduas dejicere; non poteſt

agrum, etiam negligentiâ ſuâ deteriorem facere; & cogi poteſt ad illum rectè colendum; & ſi quid ejuſmodi commiſerit, tenetur Proprietario de damnis, etiam in conſcientiâ.

2. Si habeat uſum-fructum gregis vel armenti, tenetur in locum demortuorum vel inutilium capitum alia ex fœtu ſubſtituere; quæ hoc ipſo quo ſubſtituuntur, fiunt Proprietarii.

Idem dicendum de arboribus, vineis, &c. in quarum demortuarum locum aliæ plantandæ ſunt, niſi extraordinariè vi tempeſtatis, aut caſu ſimili everſæ fuerint. Quod ſi non gregis collectivè, ſed ſingulorum capitum, uſus-fructus concedatur, nihil ſupplendum eſt, quia, ut ait Leſſius, grex eſt æternus, ſed ſingula capita ſeorſim pereunt.

Q. 4. *Quibus modis conſtituatur, & finiatur uſus-fructus?*

R. 1. Conſtituitur duobus modis, 1. legis ordinatione. Talis eſt uſus fructus quem habet pater in bona adventitia filii nondum emancipati.

2. privatâ diſpoſitione per Teſtamentum, Donationem, Pactionem, Stipulationem &c.

R. 2 Finitur variis modis, 1. morte uſu-fructuarii. Si autem Civitati vel Eccleſiæ, aut cuidam loco pio, vel Communitati, quæ non moriuntur, ſit conceſſus ſine temporis definitione, de jure communi durat 100 annis.

2. Finitur re deſtructâ, Præſcriptione, de quâ poſtea, Ceſſione Proprietario factâ &c.

§ III.

DE SERVITUTE.

Q. 1. *Quid ſervitus, & quotuplex?*

R. *Servitus*, prout hîc ſumitur, eſt ſubjectio, ſeu obligatio rei alienæ, ut aliquid in eâ fiat vel non fiat

in commodum alterius ſalvâ rei ſubſtantiâ, v. g. ſi habeam jus tranſeundi per tuum agrum, vehiculum agendi aut aquam ducendi &c. in agrum meum, Servitus eſt, quâ ager tuus ſervit meo.

Dicitur *vel non fiat*, ut ſignificetur eſſe quaſdam ſervitutes tantùm ad impediendum ne aliquid fiat v. g. ne in domo mei vicini aperiatur feneſtra quâ, in meum hortum detur proſpectus, ne murus altiùs elevetur & officiat luminibus meis &c. Et ſic ſunt quædam Servitutes affirmativæ, quædam negativæ.

Dividitur 1. Servitus in perſonalem & realem.

Perſonalis eſt quæ immediatè debetur perſonæ: tales ſunt uſus-fructus, feudum, emphiteuſis, & ſimiles obligationes, quæ propterea expirant cum perſonâ, cui affixæ ſunt.

Realis eſt quæ immediatè debetur rei; ut ſi ager tuus ſerviat meo, ædes tuæ meis ædibus &c. Ius autem illud tranſit ad illum, ad quem tranſeunt ager meus, ædes meæ &c.

Servitus realis alia eſt Urbana, alia Ruſtica. *Vrbana* eſt quæ debetur urbano prædio: *Ruſtica* quæ ruſtico.

Prædium urbanum dicitur omne ædificium habitandi causâ confectum, ſive in urbe, ſive in villâ. Item hortus ei annexus ad voluptatem.

Prædium ruſticum ſunt ager, vinea, pratum, &c. ſive in urbe, ſive extra urbem. Item ſtabula, horrea, & hujuſmodi ædificia, quæ non ſerviunt habitationi hominum, ſaltem quando ſunt ab ædibus ſeparata.

Quod addo, quia horrea, ſtabula &c. ædificio urbano conjuncta, cenſentur ad illud pertinere, & veniunt nomine prædii urbani.

Urbanæ Servitutes ſunt, admittere tignum vicini in parietem tuum, ſtillicidum in tuas ædes recipere, murum altiùs non attollere &c.

Ruſticæ ſunt iter, actus, via, aquæductus.

Iter eſt Servitus quâ quis pedes vel eques poteſt commeare.

Actus Quâ jumentum, vehiculum, & armenta ducere poſſum per prædium alterius.

Via continet in ſe iter, & actum.

Aqua ductus eſt jus aquam ducendi per fundum alienum.

Dividitur 2. Servitus in continuam, quaſi continuam, & diſcontinuam: quæ diviſio bene notanda eſt pro intelligendâ Servitutum præſcriptione, de quâ infra.

Continua eſt cujus uſus, quantùm eſt de ſe, perpetuò & ſine intermiſſione durat, ut Servitus aquæ-ductus, tigni ſuſcipiendi &c.

Quaſi continua eſt cujus uſus non quidem ſemper durat, cùm pendeat à cauſis naturalibus, ſemper tamen eſt in potentiâ & præparatione, ut Servitus ſtillicidii admittendi dùm pluit.

Diſcontinua eſt, cujus uſus non ſemper eſt, eò quod pendeat à liberâ hominis voluntate ut iter, actus &c.

§ IV.

De Possessione.

Q. 1. *Quid poſſeſſio, & quotuplex?*

R. 1. Poſſeſſio alia eſt facti, alia juris. Poſſeſſio facti communiter definitur; detentio rei corporalis, corporis, animi, & juris adminiculò.

Dicitur 1. *rei corporalis*, ideſt tactu perceptibilis; quia rerum incorporalium propriè non eſt poſſeſſio, ſed quaſi poſſeſſio; quamvis communiſſimè dici ſoleat aliquos eſſe in poſſeſſione Beneficii, Officii &c.

Dicitur 2. *corporis, animi, & juris adminiculo*, quia ad poſſeſſionem facti, de quâ agunt jura, non ſufficit qualiſcumque poſſeſſio, ſeu actualis

detentio rei, ſed requiruntur hæc tria, nempe ut actu aliquo corporali v. g. pedibus, manibus, vel alio ſimili modo res ſit apprehenſa, & id animo rem poſſidendi tamquam ſuam; & præterea ut jus faveat poſſeſſioni; ſive non impediat ne apprehenſio, qualis facta eſt, ſit ſufficiens ad poſſeſſionem; ſicut v. g. impedit, ne detentio rei ſacræ facta à laïco, ſit poſſeſſio.

Notandum tamen ad hoc ut impediatur poſſeſſio facti, de quâ hîc, non ſufficere quòd apprehenſio rei ſit injuſta, & contra leges, nam fur acquirit veram poſſeſſionem facti reſpectu rei furtivæ, habetque ea poſſeſſio, etſi injuſta, quoſdam effectus, de quibus poſtea.

R. 2. Poſſeſſio juris, eſt jus in ſiſtendi rei tamquam ſuæ.

Dicitur *inſiſtendi* per quod differt à Dominio, quod eſt ius diſponendi de re.

Dicitur *rei tamquam ſuæ*, ut excludatur inſiſtentia quæ fit ab aliquo, nomine alterius v.g. à Tutore nomine Pupilli, à Colono nomine Domini &c., qui non dicuntur rem poſſidere, ſed ii quorum nomine rei inſiſtunt.

R. 3. Poſſeſſio facti (quæ ordinariè intelligitur hîc nomine poſſeſſionis) alia eſt naturalis, alia civilis, alia civiliſſima.

Naturalis eſt quâ res corpore ſimul & animo retinetur.

Civilis eſt quæ etiam ſolo animo retinetur.

Dico *retinetur*: quia etſi ad inchoandam poſſeſſionem requiratur actio corporalis, tamen ut poſtea continuetur, ſufficere poteſt animus retinendi, juxta illud: *retinere animo poſſeſſionem poſſumus, adipiſci non poſſumus.*

Nota 1. hos duos poſſidendi modos poſſe ita ſeparari, ut unus rem poſſideat naturaliter, alter civiliter. Ut ſi me abſente & ignorante fundum

meum per injuriam invadas, tu fundum meum incipis poſſidere naturaliter, ſed ego poſſideo civiliter, donec invaſionem tuam reſciens, ac fundum recuperare tentans, aut tentare non audens vel negligens, omninò excludar à poſſeſſione.

Nota 2. ad retinendam poſſeſſionem naturalem ſufficere, quòd ſim in conſpectu rei meæ, vel ita propè, ut ſi opus ſit, ei ſtatim adeſſe poſſim.

Item me poſſe per alium v. g. per colonum poſſidere naturaliter, & per me ipſum civiliter.

Poſſeſſio Civiliſſima dicitur ea, quæ ſolâ legis diſpoſitione acquiritur, abſque omni corporis & animi adminiculo, etiam ab inſcio.

Q. 2. *Quæ commoda afferat poſſeſſio?*

R. 1. Poſſeſſio bonæ fidei parit præſcriptionem. De quâ infra.

2. Facit ut in dubio an ſit res tua vel alterius, eam retinere poſſis, etiam in conſcientiâ.

3. In judicio ordinariè parit præſumptionem Dominii: unde ſi Actor nihil probet, aut res maneat æquè obſcura, adjudicabitur poſſidenti.

4. Confert jus adminiſtrationis. Unde ſi poſſidens bonâ fide jus Patronatûs quempiam ad Beneficium præſentes, valida eſt præſentatio, licet poſtmodùm conſtet te non fuiſſe verè Patronum.

5. Poſſeſſor poteſt ſuam poſſeſſionem tueri, etiam armis contra invaſorem, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ: & ſi ea dejectus ſit, poteſt armis repetere; modo ſpectatâ rei naturâ, id fiat ſtatim & ex continenti, non autem ex intervallo. Imò ſi abſentis poſſeſſio occupata ſit, & is poſt rediens à detentore repellatur, poteſt etiam armis tunc uti adverſùs detentorem; quia eo caſu cenſetur adhuc ſe defendere & tueri poſſeſſionem ſuam, non naturalem, quam abſens amiſit, ſed civilem, quam alioqui jam inciperet amittere.

Quod tamen poſtremum intelligendum eſt de re

immobili & reſpectu cujus adhuc ſis in poſſeſſione Civili. Quare ſi fur rem tuam mobilem clam rapuerit, aut ſi te advertente, & perſequente fugerit, & jam rem extrà tuam cuſtodiam poſuerit, non potes eam vi repetere; quia amiſiſti totalem poſſeſſionem, ſolùmque ſupereſt recurrere ad remedia juris. Sic variis in locis ex conſuetudine, juri communi derogante, poſſeſſio bonorum defuncti tranſit ad hæredem proximum unà cum Dominio abſque ullâ apprehenſione.

De modis quibus acquiritur, & amittitur poſſeſſio, conſulenda jura.

CAPUT III.

De Subjecto, & Objecto Dominii.

Q. 1. *Quorum bonorum Dominium habeant Filii-familias?*

Filii-familias dicuntur ii qui adhuc ſunt ſub patriâ poteſtate.

Eſt autem patria poteſtas jus quod habet pater (non mater) in perſonam aut bona filii, vi cujus de illis diſponere poteſt ſecundùm quod jura illi permittunt.

Dixi *non mater*, quia licèt jure naturæ etiam matri competat aliqua poteſtas in filium v. g. illi imperandi; puniendi, corrigendi &c tamen non ei competit poteſtas patria, quatenus jure poſitivo inducta eſt.

Nota bona Filiorum-familias eſſe quadruplicia, nempe Caſtrenſia, quaſi Caſtrenſia, Adventitia, & Profectitia.

Caſtrenſia ſunt ea omnia, quæ quis acquirit caſtrorum, ſeu militiæ causâ, ut equus & reliqua, quæ eunti in militiam ſive à patre, ſive ab aliis dantur: item quæ acquirit in caſtris ex occaſione militiæ &c.

Quaſi Caſtrenſia ſunt, quæ, etſi Caſtrenſia non ſint, habent tamen privilegium Caſtrenſium, ut quæ à Principe quâcumque ex cauſâ donata ſunt: quæ acquiruntur ratione officii publici, non mechanici, ut Iudicis, Advocati, Medici, Profeſſoris alicujus ſcientiæ liberalis &c: quæ acquiruntur ex Beneficio Eccleſiaſtico, item ex Officio Clericali &c.

Adventitia dicuntur quæ neque Caſtrenſia ſunt, aut quaſi Caſtrenſia, neque à Patre, aut intuitu ejus, Filio donantur, ſed aliunde ipſi adveniunt, putà ſucceſſione in bona materna, induſtriâ propriâ, fortuitò v. g. inventione alicujus theſauri, labore, & operis extraordinariis

Profectitia ſunt quæ filius acquirit ex bonis paternis v. g, ea adminiſtrando, vel patris nomine cum iis negotiando &c. aut quæ filio dantur intuitu patris. Quòd ſi filius ſuo proprio nomine, ſeparatim à patre negotietur, lucrum erit adventitium, quia tunc non negotiatur ex bonis patris quâ talibus. ſed velut ſuis, pecuniarum periculo in ſe ſuſcepto. His poſitis

R. 1. In bonis Caſtrenſibus, & quaſi Caſtrenſibus, filius-familias jure communi habet plenum Dominium & adminiſtrationem, nec pater in illa jus ullum habet, ſed poteſt filius abſque ejus conſenſu liberè de illis diſponere. Intellige modò ſit pubes, id eſt expleverit annum decimum-quartum: quia ante hunc annum completum non permittitur maſculis teſtari, eo quòd ante illud tempus non cenſeantur habere judicium ſatis firmum. Quæ ratio cum militet etiam pro aliis diſpoſitionibus, meritò de iis idem dicendum, ne ſcilicet privilegium illis conceſſum vergat in ipſorum detrimentum: & quia, ut notat Molina, difficiliùs conceditur alienatio inter vivos, quàm teſtamenti, quod revocari poteſt, confectio.

R. 2. In bonis adventitiis filius habet proprieta-

tem;ſed pater uſum-fructum. Hinc per ſe loquendo, non poteſt filius-familias etiam pubes; de ſuis bonis adventitiis ullo modo diſponere, niſi de parentis conſenſu: imò nequidem de illius conſenſu de iis teſtari poteſt, niſi ad cauſas pias.

Dixi *per ſe loquendo*: quia excipiuntur nonnulli caſus de quibus conſulendi Iuriſtæ.

R. 3. In bonis Profectitiis Filius-familias nec habet proprietatem, nec uſum-fructum. Unde nullo modo poteſt de illis diſponere.

Q. 2. *Quid ſi Filius-familias plus cæteris filiis pro patre laboret, pluſque lucretur labore ſuo, quàm conſumat ex bonis patris: an poſſit ex tali lucro operarum ſuarum pretium extrahere patre inſcio, aut non conſentiente?*

R. 1. Si ea tantùm faciat quæ filii ſuæ conditionis facere ſolent, & ex pietate debent; ut ſi filius agricolæ vel opificis patrem vel matrem juvet in agriculturâ, vel opificio, vel illis in morbo inſerviat &c. & ita plùs lucretur quàm expendat, cenſetur lucrum eſſe Profectitium, licèt de matre neget Sanchez l. 1. Conſil. c. 2. dub. 8. n. 8. cum Fabro & Guttierez, eò quòd matri non competat patria poteſtas. Sed

Prob. univerſaliter, quia filius cenſetur gratis facere ea, ad quæ ex pietate obligatur reſpectu utriusque parentis, adeòque ſibi non acquirit. Quòd ſi habeat animum nō faciendi gratis, id ipſum indicare debet, ut poſſit pater, ſi velit, ſibi de extraneo providere. Ex quo ſequitur filium eo caſu, nihil ſibi poſſe aſſumere.

Probabile tamen eſt, ſi quid aſſumat, non teneri ad reſtitutionem, eò quòd poſſit ſalarium petere. Ita cum Angelo, Navarro, & aliis, Laiman l. 3. tract. 4. c. 8. n. 12. Diana p. 4. tr. 4. reſol. 66.

R. 2. Si operis extraordinariis & indebitis aliquid lucretur cum intentione non patri, ſed ſibi

acquirendi; lucrum illud cenſeri debet Adventitium; ac proinde licèt non poſſit abſolutè ſibi retinere, quia pater habet uſum-fructum, poterit tamen poſteà compenſationem petere.

Quandonam filius, & quibus modis egrediatur patriâ poteſtate, petendum ex inſtitutis, & ex cujuſque loci conſuetudine.

Q. 3. *Quorum bonorum Dominium habeat uxor jure communi?*

Dico *jure communi* quia hîc, & aliàs ſæpe, ſpectatis quorumdam locorum conſuetudinibus, aliter loquendum eſſet: quod bene notandum eſt, ne quis ea, quæ ſpectato præcisè jure communi ſervanda aſſerimus, putet ſemper, & omni loco abſolutè eſſe ſervanda, nullâ habitâ ratione conſuetudinum localium quę ſępiſſimè juri communi derogāt.

Nota tria eſſe bonorum genera, de quibus hic quæritur: ſcilicèt Dotalia, Paraphernalia, & utrique conjugi Communia.

Dotalia ſunt ea quæ ab uxore traduntur viro, ad ſuſtinenda onera matrimonii.

Paraphernalia (ideſt ultrà dotalia) ſunt ea quæ ab uxore ultrà dotem afferuntur, vel ad eam poſteà deveniunt per ſucceſſionem hæreditariam, legatum, donationem, &c.

Communia ſunt quæ conſtante matrimonio, per mercaturam v. g. alioſve titulos ex receptâ paſſim conſuetudine, utrique conjugi ſimul acquiruntur. Nunc ad quæſitum.

R. 1. In bonis Dotalibus uxor habet proprietatem; maritus autem uſum-fructum.

2. In Paraphernalibus uxor retinet Dominium & uſum-fructum. Verum in Belgio ſic jam iniri ſolent matrimonia, ut fiat contractus communionis omnium bonorum inter utrumque conjugem. vide Gudelinum de jure noviſſimo l. 1. c. 7.

3. In bonis Communibus Dominium eſt penes

utrumque conjugem; adminiſtratio verò penes ſolum maritum; niſi quatenùs ratio & conſuetudo aliquid hâc in re uxori permittit, juxtà cujuſque ſtatum & conditionem.

Q. 4. *An Eccleſiaſtici ſæculares ſint domini proventuum Eccleſiaſticorum?*

Certum eſt eſſe dominos bonorum Patrimonialium, ideſt, quæ ipſis proveniunt jure hæreditatis, vel donationis, vel ratione contractûs, laboris, conſultationis &c. perinde ac ſi eſſent laïci. Item eſſe dominos bonorum quaſi patrimonialium: ideſt, eorum quæ quidem acquirunt ut clerici, ſed aliunde quàm ex Beneficio, putà celebrando, concionãdo, canendo, agendo ſacellanum, vel vicarium Paſtoris &c. hæc enim dantur ut ſtipendium & merces operæ, adeòque de illis, poſſunt liberè diſponere ad omnes uſus.

Quæſtio igitur eſt de proventibus, ſeù reditibus quæ ipſis præcisè proveniunt ratione Beneficii, licèt huic ſint annexa quædam onera v. g., recitandi Horas, reſidendi in loco Beneficii &c. Tales ſunt reditus quibus fruuntur Canonici, aliique ſimiles.

R. 1. Poſt diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum; ſeu poſtquam erecta ſunt Beneficia, & proventus ſingulis Titulis attributi, Beneficiarii ſunt Domini fructuum, ſeu Redituum ſui Beneficii, ſaltem quoad partem reſpondentem congruæ ſuſtentationi, eſt communis. Ratio eſt, quia pars fructuum reſpondens congruæ ſuſtentationi, eſt juſtum ſtipendium, ac merces officii Clericalis, cum juſtum ſit ut *qui Altari ſervit, vivat de altari* 1. Cor. 9.

R. 2. Etſi iidem Beneficiarii probabiliter ſint Domini etiam partis ſuperfluæ, ſeu redundantis congruæ ſuſtentationi, obligantur tamen ſub mortali partem fructuum ſuperfluam in pauperes aut alios pios uſus inſumere. Vide Trident.

ſeſſ. 25. c. 1. de Reformatione, ubi omninò interdicit Epiſcopis *ne ex Reditibus Eccleſiæ conſanguineos vel familiares ſuos augere ſtudeant; ſed ſi pauperes ſint, ut pauperibus diſtribuant.* Et paulò poſt, id extendit ad omnes qui habent Beneficia Eccleſiaſtica.

R. 3. Dicta obligatio impendendi ſuperflua in uſus pios, non videtur eſſe juſtitiæ, ſed partim miſericordiæ & charitatis; partim Religionis, quâ Eccleſia tenetur res Deo oblatas vel per ſe, vel per ſuos Miniſtros expendere conformiter Dei cultui. Hinc ſi aliter de illis bonis diſpoſuerint Beneficiarii, retinere poſſunt qui acceperunt; & ipſi Beneficiarii non ſunt obligandi ad reſtitutionem, cum non peccaverint contra juſtitiam. Vide Leſſ. l. 2. c. 4.

Q. 5. *An conſanguinei vel alii non pauperes qui ſuperflua Redituum malè à Clericis expenſa recipiunt; teneantur ad ea expendenda in pios uſus, ſicut tenebantur ipſi Clerici? & an peccaverint ea recipiendo?*

R. non teneri ad ea expendenda in pios uſus, quia ea non recipiunt tamquam Eccleſiæ miniſtri, quorum obligatio eſt perſonalis, nec tranſit ad Hæredes, aut Donatarios. An autem hi peccent ea recipiendo, variant ſententiæ. Affirmat Sanchez l. 2. Conſil. c. 2. dub. 38. n. 14 Quia, inquit, peccato Clericorum cooperantur. Negat probabiliter Lugo diſp. 4. n. 48. &c. Quia ſi Clericos non inſtigent ad dandum, non cooperantur eorum peccato, quod jam commiſſum eſt, eo ipſo quo Clericus ex parte ſuâ Donationem facit: eo modo quo dicitur conjux non cooperari peccato conjugis, nec peccare, ſi conjugi habenti votum caſtitatis, & debitum petenti, reddat.

Q. 6. *An Beneficiarii teſtari poſſint de ſuis Reditibus?*

R. Quamvis de Iure communi id non poſſint, ex

conſuetudine tamen multis locis poteſt Beneficiarius de ſuis fructibus validè teſtari etiam ad cauſas profanas. Talis conſuetudo, teſte Covarruviâ, legitimè præſcripta eſt in Hiſpaniâ quoad Clericos inferiores Epiſcopis. Eadem dicitur recepta in Galliâ, & paſſim in Belgio. Peccat tamen mortaliter Clericus, ſi de fructibus ſuis teſtetur ad cauſas profanas, relinquendo eos conſanguineis divitibus &c. Ita Leſſius, qui dicit eſſe communem. Unde ipſe, Vaſquez, Layman, & alii, conſuetudinem illam teſtandi ad res profanas, graviter reprehendunt: aitque Leſſius Viros bonos, valdè ab eâ ſemper abhorruiſſe. Similia habent Mol. Malder. Tanner. &c. Quo fit ut contraria ſententia meritò ſit in praxi ſuſpecta: niſi fortè ubi certò conſtaret eam paſſim uſurpari, & eſſe communem, etiam timoratorum praxim. Vide quæ pro Galliâ adfert Zypeus de Teſtamentis n. 8.

Q. 7. *Quænam cenſeantur eſſe neceſſaria ad congruam Beneficiati ſuſtentationem?*

R. Ea omnia quæ neceſſaria ſunt ut honeſtè vivat juxta ſui ſtatûs conditionē. Itaque etiam intelliguntur moderata cōvivia, largitiones moderatæ, etiam divitibus factæ tùm ex gratitudine, tùm etiam ex benevolentiâ: item ſi quid detur conſanguineis non ad ſuperflua, nec ad amplificandum eorum ſtatum, ſed tantùm nè juxta ſuum ſtatum egeant. Vide Trid. ſeſſ. 23. c. 1. item ornamenta domûs pro patriæ more &c.

Porrò per conditionē ſtatûs intellige non tantùm conditionem provenientem ex qualitate Beneficii, quâ fit, ut plus expendere poſſit Epiſcopus quàm Canonicus, & plus requiratur ad ſuſtentationem habentis dignitatem v.g. Decani, Archidiaconi &c. quàm ſimplicis Canonici, ſed etiam provenientem ex qualitate ipſius perſonæ: nam intra eundem gradum Beneficii plus requiritur ad honeſtam ſuſ-

tentationem viri nobilis quam aliorum pro quibus omnibus, optima regula eſt, timoratorum praxis.

Q. 8. *An Clerici habentes Patrimonialia, vel quaſi-Patrimonialia poſſint ſumere ex Reditibus Eccleſiaſticis quæ faciunt ad congruam ſuſtentationem, & alia expendere in quoslibet uſus?*

R. Poſſe ex Reditibus Eccleſiaſticis tantum ſumere quantum requiritur ad honeſtam ſuſtentationem ſpectatâ conditione ſtatûs, proveniente ex Beneficii qualitate; non tamen ex ſolis Reditibus Eccleſiaſticis ſe ſuſtentare juxtà qualitatem perſonæ ſuæ, excedendo ſui Beneficii qualitatem. Sanchez. Excipe, niſi Pontifex intuitu meritorum familiæ &c. illi plenum jus conferat in Reditus illos

Q. 9. *An Beneficiarius poſſit alere conſanguineos ſuos ex Reditibus ſui Beneficii?*

R. poſſe ſi ſint abſolutè vel ſecundùm ſuùm ſtatum pauperes. Deindè ſi non tàm alendi, quã conſortii cauſâ accipiat aliquem è conſanguineis, id videtur ſpectare ad congruam ſuſtentationem

Q. 10. *Quid dicendum de Penſionariis, & Commendatariis? Quid de Parochis & Capellanis?*

R. Penſionarii probabiliter non tenentur ſuperfluum expendere in uſus pios. Lugo.

Commendatarii autem ex communi ſubeunt locum Beneficiariorum, atque ita tenentur.

Parochi poſſunt diſponere de iis quæ in ſtipendium laboris recipiunt, ac deinde vivere conformiter ſuo ſtatui ex ipſo capitali; ita tamen ut ſi labor, quem ex officio impendunt, pluris æſtimetur quam requirat eorum ſuſtentatio, poſſint exceſſum ſibi ſumere, & de eo pro libitu diſponere.

Capellani, ſi eorum Capellania non ſit collativa, quales ſunt in variis Caſtris nobilium, poſſunt illius

lius Reditus in omnem uſum expendere; quia talis Capellania non venit nomine Beneficii. At ſi ſit Capellania collativa, ſeu perpetua, ejus Reditus, debent expendi in uſus pios (nempe quoad ſuperflua) niſi habeant annexa onera v. g. Miſſas &c Ita ut Reditus cenſeantur dari in ſtipendium.

Q. 11. *An Religioſi ſint capaces Dominii?*

R 1. Religioſi in communi ſeu Communitas ipſa Religioſorum, vel Monaſterium eſt capax Dominii rerum temporalium. Et hoc ſenſu intelligendum eſt Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de Regularibus ubi omnibus Monaſteriis, & domibus tam Virorum, quàm mulierum, etiam mendicantium (exceptis Capucinis, & Minoribus de obſervantiâ) conceditur bona immobilia poſſidere.

R. 2. Singuli Religioſi factâ ſolemni Profeſſione, ſunt incapaces dominii.

Prob, Ex eodem Trid. Seſſ. 25. c. 2. de Regularibus, ubi dicitur, neminem Regularium poſſe poſſidere bona ſive immobilia, ſive mobilia tamquam propria; ſed ea debere tradi Superiori, & Conventui incorporari. Hinc emanavit vulgatum illud: *Quidquid acquirit Monachus, non ſibi acquirit, ſed Monaſterio.*

Dixi; *factâ ſolemni Profeſſione*, quia votum Paupertatis quod poſt Novitiatum in Societate JESU emittitur, licèt ſit verum Votum Paupertatis Religioſæ, conſiſtere tamen poteſt cum Dominio, uſque ad emiſſionem ultimorum votorum, quę ſunt ſolemnia; verùm Dominium iſtud perpetuò pendet quo ad uſum à voluntate Superioris. Patet hoc ex Bullâ Gregorii XIII. quæ incipit, *Quantò fructuoſiùs*, ex quo ſequitur incapacitatem Dominii in ſingulis Religioſis non provenire præciſè ex naturâ voti Paupertatis, etiam Religioſæ, ſed ex ordinatione Eccleſiæ, eam votis ſolemnibus, ſeu ſolemni Profeſſioni annectentis.

Col. 1. ſi Religioſus Profeſſus diſponat de re ali-

quâ abſque Superioris expreſſâ vel tacitâ facultate, nõ tantùm peccat contrà votũ Paupertatis graviùs vel leviùs pro rei gravitate, ſed etiam invalidè diſponit, & is qui accepit, tenetur ad reſtitutionem.

An autem ſi Religioſus Societatis ante ultima vota, de re aliquâ, cujus habet Dominium, diſponat ſine facultate Superioris, diſpoſitio non tantùm ſit illicita, ſed etiam invalida, controvertitur. Molina & Leſſius volunt eſſe invalidam. Sanchez, Azor, Suares, quos citat & ſequitur Lugo diſp. 3. n. 49. docent eſſe quidem illicitam, ſed validam; eoquod talis diſpoſitio fiat ab habente verum Dominium, & nulla extet conſtitutio poſitiva, quæ illis illam poteſtatem adimat; ſicut alienatio facta à pupillo, jure poſitivo redditur invalida.

Coll. 2. Abbates & alios Superiores Regulares licet vi adminiſtrationis ſuæ poſſint diſponere de variis rebus ſuæ Communitatis ſine alterius licentiâ, non habere tamen Dominium illarum; adeoque Prælatum Regularem expendentem bona Monaſterii in uſus vanos, ſuperfluos, vel turpes, peccare contra votum Paupertatis.

Coll 3. Cùm non poſſit ipſe Superior expẽdere, adeoq; nec licentiam concedere expendendi pecunias in uſus vanos, aut turpes, quin peccet contra Paupertatem; conſequenter Religioſum qui pecunias expendit in ſimiles uſus, quamvis ex facultate generali ſui Superioris diſponendi de talibus pecuniis, peccare nihilominùs contra Paupertatem. Diana tamen p. 3 tra. 2. in dubiis Regularium. Reſ. 65. putat ſuppoſitâ illâ licentiâ generali, probabile eſſe quod Religioſus non peccet contra votum, citatque pro hâc opinione ex Dominicanorum Familiâ, Bannez, & Lopez, è Societate IESU Rebellum, quamvis fateatur oppoſitum eſſe probabilius.

Q. 12. *An Religioſi Profeſſi poſſint cum conſenſu Superioris habere Peculium, vel etiam Reditus annuos, de quibus pro libitu diſponant in uſus honeſtos?*

Ratio dubitandi eſt quòd id videatur prohiberi in Concilio Trid. ſeſſ. 22. c. 2. ubi ſtatuitur *ne deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum-fructum, vel uſum &c.*

R. Nihilominùs affirmativè. Ut patet ex praxi quotidianâ. Ad rationem dubitandi.

Dico, Quamvis eo loco Trid. videatur condi jus novum quo id prohibeatur, Sanchez tamen in Decal. T. 2. l. 7. c. 22. n. 11. & Diana p. 1. trac. 6. Reſ. 32. cum aliis multis quos citant, cenſent non condi jus novum, ſed reſtaurari antiquum, quo non licet Religioſo concedere Reditus quibus utatur independenter à Superioris voluntate; adeoque non prohiberi Peculia aut Reditus, modò eorum uſus perpetuò dependeat à voluntate Superioris.

Q. 13. *An homo ſit Dominus vitæ ſuæ, & membrorum, an ſuæ famæ & honoris?*

R. 1. Non eſſe dominum vitæ ſuæ, & membrorum, ſed tantùm cuſtodem eorum, & uſuarium, hoc ſenſu quod jus quidem habeat iis utendi, eaque conſervandi, ſic ut illi fiat injuria, ſi quis ea invadat, aut deſtruat; non poſſit tamen de iis pro arbitrio diſponere, aut iis ſe privare, ſeſe interimendo, aut mutilando.

Nota neque Principem, aut Rempublicam &c. eſſe Dominos vitæ, aut membrorum alterius, etiam ſervorum aut ſubditorum, Unde Exod. 21. dicitur reus criminis qui ſervum vel ancillam occiderit.

Nec refert quòd Princeps habeat jus plectendi reos, & capite vel aliquo membro mulctandi: id enim non facit tamquam Dominus vitæ ipſorum,

ſed tamquam cuſtos boni publici, & Dei Miniſter.

Similiter dum quis jubet ſibi abſcindi brachium, pedem &c. id facit tamquam providus cuſtos vitæ ſuæ, exponendo partem pro ſalute totius.

R. 2. Hominem eſſe quidem dominum ſuæ famæ & honoris, hoc ſenſu, quòd poſſit ſuis actibus famam ſuam augere, & minuere pro libitu; poſſit alteri condonare famæ ſuæ reſtitutionem, aliis detegere peccata ſua, & internos defectus, ſive ad conſilium petendum, ſive ad humilitatis exercitium &c. Non tamen illi licere famam ſuam prodigere, infamando ſe ſine cauſâ, & contra charitatem ſibi aut proximo debitam. Et quamvis id, per ſe loquendo, videatur tantùm eſſe veniale, per accidens tamen poteſt quis in hoc graviter peccare, etiam contra juſtitiam; ut ſi ejus infamia redundet in infamiam alterius, cujus famam conſervare tenetur; aut ſi bona ejus fama ſit neceſſaria ad proximi ædificationem, vel ad ritè præſtandum munus ad quod obligatur ex juſtitiâ.

CAPUT IV.

De modis acquirendi Dominii in res quæ nullius ſunt.

DUO ſunt generales modi acquirendi Dominium rerum. Primus eſt de conſenſu prioris Domini, ut fit in Contractibus & ultimis voluntatibus, de quibus poſtea. Secundus, abſque eo quòd interveniat alterius conſenſus: Et hoc dupliciter contingit.

1. Si res antea nullius erant Domini, ut ſunt Aves, Feræ, Bona derelicta, Theſauri &c.

2. Si erant alicujus, ſed intervenit legitima præſcriptio. Agimus hoc capite de acquiſitione rerum quæ antea nullius erant; in ſequenti de præſcriptionibus.

§. I.

De Dominio Rerum per Venationem, Aucupium, Piscationem &c.

Q. 1. *An Venatio, Aucupium, & Piſcatio ſint licita?*

R. Eſſe licita jure naturæ: at jure Canonico Clericis & Religioſis prohibita eſt Venatio, ſaltem Clamoſa, quæ fit cum ſtrepitu canum & armorum &c. præſertim ſi ipſi per ſe canes agitent, arma & venabula geſtent &c.

Quod addo quia ſimpliciter adeſſe tamquam ſpectatorem, non videtur prohibitum. Et Clementina 1ª. ſpecialiter prohibens ne Religioſi venentur, nec venationibus interſint; intelligenda eſt, ne interſint tamquam venatores, non autem ut ſpectatores.

Q. 2. *Suppoſitâ Venandi, Piſcandi &c. Facultate ad quæ animalia ſe extendat ea facultas?*

Nota animalium quædam eſſe manſueta & domeſtica, ut Equi, Boves, Gallinæ &c. Quædam fera aut ſilveſtria, ut Cervi, Lepores, Cuniculi &c. (ad quæ revocantur etiam Aves, Piſces, &c.) quæ ſcilicèt naturâ ſuâ talia ſunt, nec educatione ſunt cicurata. Alia denique dicuntur partim ſylveſtria, partim domeſtica; quæ licèt procùl quotidie à domo aberrent, redire tamen ſolent, ut Columbæ, Apes, &c. item quæ licèt naturâ ſuâ fera ſint,

& ſylveſtria, tamen educatione cicurata ſunt, ut Cervi cicurati, Accipitres, &c.

R. 1. Animalia manſueta & domeſtica, quantùmvis aberrent, ſemper remanent prioris domini, nec fiunt occupantis. §. *gallinarum* inſtit: de rerum diviſione, ubi dicitur furari, qui hæc animalia cùm fugerint, detinet. Idem dicendum de iis quæ naturâ ſuâ ſunt ſylveſtria, ſed uſu & educatione ſunt cicurata. Hæc enim occupare non licet, quamdiu retinent animum, ſeù conſuetudinem redeundi. Unde columbas v. g. quantumcumque vagentur, occidere non licèt; nec licet eas illecebris, aùt fraude in ſuum columbarium traducere, niſi quibusdam in locis hoc permittat uſus & conſuetudo. Quandonam autem hujuſmodi animalia cenſeantur amiſiſſe animum ſeu conſuetudinem redeundi, atque ita recuperaſſe priſtinam naturalem libertatem, multùm pendet à prudentis judicio, ſpectatâ varietate animalium, & circumſtantiarum.

R. 2. Animalia fera & ſylveſtria, ſi anteà nullius fuerint, ſunt primò occupantis; idque ſivè in proprio, ſivè in alieno fundo capiantur. Idem dicendū de animalibus ſylveſtribus quæ aliquando alterius fuerunt, ſed jam naturalem libertatem recuperârunt: hoc enim ipſo ſunt nullius, & rurſùm fiunt primò occupantis. Cenſetur autem naturalem libertatem recuperaſſe, cum fugiendo, oculos Domini effugerunt; vel ſi adhuc ſunt in conſpectu, tamen non eſt facilis eorum comprehenſio: ut ſi avis é caveâ in liberam aream evaſerit; ſi piſcis é tuo vivario in fluvium tranſierit.

De Apibus ſpecialiter hoc dicendum: ſi Examen integrum ex tuis alvearibus evolet, tam diù eſt tuū, quamdiu eſt in tuo conſpectu, & illud perſequeris. At ubi planè ex oculis evaſerit, fit primò occupantis. Quod ſimiliter de novis Examinibus di-

cendum eſt. Quamvis autem Examen aliquod in tuo fundo, vel arbore tuâ conſederit, nondùm eſt tuum : unde ſi alius te præveniat, fiet illius, etſi tu prior videris, & alteri prohibueris ne fundum tuum eâ de causâ ingrederetur; quia per hoc nondùm occupaſti.

Q. 3. *Cujus ſit fera, ad cujus capturam plures concurrunt?*

Dupliciter preſertim id contingit. 1. Quando fera percuſſa eſt ab uno, & capta ab alio. 2. Quando quis feram eximit de laqueo altèrius.

R. 1. ſi Feram ita vulneraveris, ut eam certò capturus ſis, & eo animo pergas illam perſequi, eſt tua, etſi alius eam capiat. Mol. Leſſ. Lugo. contra varios.

R. 2. Si ego laqueum poſuerim & tu feram eo irretitam exemeris, videndum an fera ita erat irretita, ut non eſſet facilè evaſura, & tunc eſt ejus qui laqueum poſuit, nempe mea, non eximentis. Si verò Fera erat facilè & probabiliter evaſura, eſt eximentis ſeu occupantis.

Quæ autem dixi de ponente laqueum, & alio feram eximente, applicari poſſunt ponenti naſſam in flumine, & alteri piſces ex eâ educenti, & aliis ſimilibus.

Q. 4. *An liceat Venari, aut Piſcari in Fundo alieno?*

R. Per ſe loquendo licitum eſſe venari in Fundo alieno aperto: quia cùm feræ non ſint fructus Fundi, ut ſunt arbores &c. & in eo retineant naturalem libertatem, non pertinent ad Dominum Fundi, ſed nullius ſunt, adeoque fiunt primò occupantis. Secùs ſi Fundus alienus ſit concluſus, ita ut fera cenſeatur amiſiſſe naturalem libertatem : tunc enim fera eſt illius cujus eſt Fundus.

Idem dicendum de Cuniculis habentibus conſuetudinem redeundi ad nemuſculum cunicularium

licet apertum : nam per talem animum redeundi ſufficienter cenſentur eſſe in poteſtate Domini iſtius nemuſculi.

Porrò locus, tunc dicitur ſuffic ienter concluſus ut fera cenſeatur naturalem libertatem amiſiſſe, quando non eſt adeò vaſtus quin facilè in eo capi poſſit : ſi enim ſit tam amplus ut fera in eo æquè difficulter capiatur ac in loco non concluſo, non cenſetur naturalem libertatem amiſiſſe, adeoque nec pertinere ad Dominum fundi. Quod accidit, juxta Leſſium, quando ſylva eſt duarum vel trium leucarum, vel juxta Rebellum, quando tantum excurrit, quantus eſſe ſolet curſus feræ ad evadendum.

Dixi *per ſe loquendo* quia poteſt Dominus fundi ſubinde ex cauſâ prohibere ne quis ingrediatur in Fundum ſuum ; & in eo venetur. Item poteſt Princeps, etiam in locis publicis & communibus ex juſtâ cauſâ, & propter bonum commune prohibere venationem, ut

1. tempore Fœturæ, ne ferina ſoboles extinguatur cum detrimento publico

2. Ratione publicæ utilitatis, ut nempe ex ejus elocatione conſletur vis pecuniæ ad onera Reip. ſuſtinenda.

3. Ratione conditionis perſonarum. Ita variis Regionibus Plebi prohibetur venatio.

4. Probabile eſt etiam poſſe Principem ob ſolam recreationẽ ſibi, aut aliis perſonis benè meritis reſervare jus venãdi certis locis quæ ſũt publici juris

Q. 6. *Ad quid teneatur, qui contra juſtam prohibitionem venatur aut piſcatur in Fundo alieno?*

R. 1. Qui contra alterius prohibitionem in fundo ejus libero & aperto venatur, item qui in publico, ſed prohibito, facit nihilominus feras ſuas, nec tenetur ad earum reſtitutionem : quia non obſtante prohibitione feræ adhuc nullius ſunt adeoque primò occupantis. Unde poteſt quis feras ſic captas emere.

2. Qui contra juſtam Domini prohibitionem in fundo etiam non clauſo, venatur; non tantùm tenetur de damno directè illato, proterendo ſata, lædendo vineas &c. ſed etiam de eo quod Dominus incurrit ratione lucri ceſſantis, ſi vel ipſe per ſe venabatur, vel jus venandi alteri locaturus erat. Tenetur autem ad reſtitutionem, non animalium venatione captorum vel in ſe, vel in valore, ſed pro ratione lucri ceſſantis meritò ex venatione ſperati, ſpes autem capiendæ feræ non tantum valet quantum fera, ut clarum eſt. Igitur videndum morali judicio, & ſpectatis circumſtantiis quantùm imminuta ſit ſpes lucri per venationem ab altero faciendi. Atque hæc ex ſententiâ communi: Alioqui Vaſquez Tractatu de Reſtitutione c. 5. §. 2. dub. 7. quem ſequitur Dicaſtillo., tenet, præter damna directè fundo illata, nihil eſſe reſtituendum, quia alter nullum habet jus ad feras quæ adhuc communes ſunt; additque id etiam verum eſſe reſpectu ejus qui jus illud venandi à Republ. conduxit; quia, inquit, jus illud tantùm eſt venandi impunè, quod utique non violatur per hoc, quod alius venetur.

R. 3. Qui in loco communi & publico venatur vel piſcatur tempore prohibito v. g. dum feræ ſunt gravidæ, vel inſtrumentis vetitis &c. facit quidem prædas ſuas; ſed ſi hâc ratione grave damnum inferat communitati v.g. extinguēdo magnâ ex parte ſobolem ferinam, aut piſcando projectis eſcis medicatis, quæ aquas, vel piſces inficiant, obligatur ad reſtitutionem, non ferarum quas fecit ſuas, ſed proportionatè ad damnum ſecutum, arbitrio boni viri.

R. 4. Quamvis Eccleſiaſticis ratione ſtatûs prohibita ſit venatio Clamoſa, ut ante dictum eſt; ad nihil tamen tenentur ex eo præcisè quòd venationem hoc titulo illicitam exerceant, & feras

capiant ; quia conditio perſonæ non facit actum eſſe contra juſtitiam.

Q. 7. *Ad quid teneantur qui lignantur, vel paſcunt pecora, contra prohibitionem?*

R. 1. Qui in ſylvis & paſcuis ſuæ Communitatis ligna cædit, vel pecora paſcit contra prohibitionem, communiter non tenetur ad reſtitutionem, niſi damnum notabile inferat v. g. ſtirpes minuendo, aut grandiores arbores ſternendo &c.

Dicitur *contra prohibitionem*, nam in ſylvis & paſcuis ſuæ Communitatis cuilibet eſt permiſſum ligna & herbas colligere pro ſuâ neceſſitate.

R. 2. Si quis in ſylvâ alicujus privatî, aut alienæ Communitatis, ligna cædat, aut ſtirpes incidat, furtum committit & tenetur ad reſtitutionem, non tantùm arboris, aut valoris ejus, ſed etiam æſtimationis ſpei quæ erat in futurum in arbore ſolo inhærente.

Cæterùm in his ſpectandæ ſunt locorum conſuetudines. Pro quo notanda ſunt ſequentia:

1. Conſuetudine paſſim receptum eſt, ut liceat unum alterumve baculum in ſylvâ alienâ, etiam privati exſcindere, & pauperibus ligna arida colligere.

2. Ex communi Doctorum ſenſu major hîc quantitas requiritur ad peccatum mortale, quàm in aliis furtis. Vide Mol. tract. 2. diſp. 58. n. 5. ubi advertit hoc furtum eſſe alterius rationis, nec gignere eam infamiam, quam alia furta. Unde addit, niſi ſit damnum notabile, furem in hâc materiâ non facilè eſſe damnandum peccati mortalis.

3. Pro reſtitutione in hâc materiâ plures DD. Sanchez, Dicaſtillo, Navarrus &c. putant eum qui citra magnam ſtragem cædit ligna in ſylvâ alterius, vel etiam privati, non teneri ad reſtitutionem, ſed tantùm ad pœnam ſi deprehendatur. Alii ut Lugo, Mol. Vaſquez &c. dicunt videndum

eſſe an Dominus ſoleat exigere reſtitutionem; vel an contentus ſit pœnâ conſtitutâ; ſicut inquiunt, plerumque fieri ſolet, etiamſi dominus multa minetur, & multum clamet.

§. II.

De Bonis derelictis et vacantibus

Q. 1. *Quid ſint?*

R. *Bona derelicta* ſunt ea quæ Dominus eâ mente abjecit, ut in numero rerum ſuarum, eſſe nolit. Sic pro derelictis habentur res fluctibus abreptæ, aut alio modo amiſſæ quas Dominus, ſciens ubi ſint, non curat recuperare cum facilè poſſit.

Bona vacantia ſunt quę quis moriens inteſtatus relinquit, nec ſecundum leges habet hæredem, ut ſæpe fit in bonis nothorum, & peregrinorum.

Q. 2. *Ad quos deveniant Bona derelicta, & Bona vacantia?*

R. Bona derelicta, ſunt primò occupantis. Bona verò vacantia, jure communi ad Fiſcum pertinent. Authentica *omnes peregrini.* Cod. *communia* de ſucceſſoribus, in quâ dicitur, bona peregrini per Epiſcopum tradenda hæredibus, ſi cognoſci poſſint; alioqui in pias cauſas eroganda, vel eſt uſu contrario abrogata, vel, ut vult Molina, eſt limitata ad eos, qui inteſtati decedunt in hoſpitalibus Epiſcopo ſubjectis, vel ut Gudelinus, ad res parvi momenti, quas peregrinus apud ſe habuerit.

Cæterùm etiam hîc, & in ſequentibus ſpectandæ ſunt conſuetudines locorum.

Q. 3. *Quid dicendum de bonis naufragorum,*

vel quæ ad levandam navim in mare jactantur?

R. ea non eſſe habenda pro derelictis, ſed Dominis reſtituenda. §. 48. Inſtitut. De rerum diviſione, & Authenticâ *Navigia* Cod. de Furtis. ubi meritò reprobatur omnis conſuetudo contraria, idem dicendum de bonis amiſſis.

Ratio eſt, quia ea omnia Dominus cupit remanere in bonis ſuis, quantum fieri poteſt.

Q. 4. *Quid ſi res aliqua vi fluminis abacta certò erat mergenda, aut incendio abſumenda, aut quovis alio modo peritura, & periculo tuo eam eripueris?*

R. te nihilòminùs adhuc teneri eam Domino reddere, ut ſtatuitur de animali erepto ex ore lupi. L. *Pomponius* 44. ff. de Acquirendo rerum dominio. Ratio eſt, quia res illa adhuc eſt Domini, ejuſque bonæ fortunæ eſt, quod per te periculo ſit erepta. Tenetur tamen Dominus pro labore & periculo ſatisfacere. Quòd ſi periculi æſtimatio ferè tanta ſit, ac rei valor, neque eam Dominus repetat, poteſt retinere tamquam conceſſam in compenſationem.

§. III.

De Theſauris et Bonis Inventis.

Q. 1. *Ad quos pertinent inventi Theſauri?*

Theſaurus prout hîc ſumitur, eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat.

Nomine pecuniæ etiam intelliguntur alia pretioſa mobilia, ut Vaſa aurea, Gemmæ, Torques &c.

R. 1. ſeclusâ lege poſitivâ aliter conſtituente

Theſaurus jure naturæ totus eſt inventoris primò occupantis, ubicumque, & quandocumque inventus ſit; quia jure Naturæ & Gentium nullius eſt. Iure tamen Civili conſtituta ſunt, & ubi lex viget obſervanda ſequentia:

1. Theſaurus caſu, vel induſtriâ (modò non arte magicâ, de quâ infrà) in proprio fundo inventus, Iure Civili totus eſt inventoris. Quod etiam verum eſt quamvis eum fundum quis emerit, ſciens in eo latere Theſaurum. Nec tenetur idcircò pluris emere; quia Theſaurus non eſt pars fundi, adeòque nec in Bonis venditoris.

2. ſi caſu fortuito Theſaurum in fundo alienò inveneris, ſive is fundus ſit alicujus Privati, ſive Principis, ſive Civitatis &c. Dimidium tuum eſt, & alterum dimidium teneris tradere Domino fundi, etiam ante judicis ſententiam; cùm juris diſpoſitio non ſit pœnalis, ſed proprietatis conſtitutiva, ut DD. communiter. Vide pro his §. *Theſauros* 39. inſtit. de Rerum diviſione.

3. Si de induſtriâ Theſaurum in Fundo alieno quæſieris abſque Domini conſenſu, totus erit Domini. l. unicâ: Cod. de Theſauris: quod rectè ſtatutum eſt ad tollendam anſam effodiendi agros alienos. Quia tamen lex illa ſecundum Leſſ. Vaſq. Wighers. &c. Ex eâ parte pœnalis eſt, non videtur obligare ante Iudicis ſententiam. Itaque ſufficiet dimidium alterum Domino dare, altero retento. Quòd ſi Dominus conſenſerit ut quæreres, totus eſt tuus, niſi aliter ſit conventum.

4. Si Fundus duos habeat Dominos, alterum directum, nempe Proprietarium, alterum utilem, nempe Emphyteutam vel Feudatarium, Mol. Leſſ. Malder. & alii communiùs cenſent partem, quæ Domino cedit, inter utrumque eſſe dividendam: Et ſi ipſe Emphyteuta vel Feudatarius inveniat, poſſe ſibi tres quartas retinere, & unam quar-

tam tradere Domino directo. Nonnulli tamen Iuriſtæ totam Domini partem abſolutè addicunt Emphiteutæ aut Feudatario. Conductor, & Uſuarius, imò & uſu-fructuarius hîc habentur pro extraneo, cui proindè nihil Theſauri debetur, cum Theſaurus non ſit fructus fundi.

5. Si Theſaurus inventus ſit in loco publico v. g. Plateâ. Foro. &c. probabiliter putat Covar. & poſt eum Leſſius. totum eſſe Inventoris: alii non minùs probabiliter putant eſſe partim Inventoris, partim Fiſci, ex lege *non intelligitur* §. 10. ff. de Iure Fiſci.

6. Theſaurus fortuitò inventus in loco Sacro, qui utique aliquem Dominum habeat ſeu Prælatum, ſeu Eccleſiam, eſt partim Inventoris, partim Prælati, vel Eccleſiæ, juxta dicta n. 2. & 3.

7. Si theſaurus arte magicâ ſit repertus, ſive in Fundo proprio, ſive alieno, totus eſt Fiſci. Si tamen hâc arte reperiatur in fundo alieno, Domino Fundi hujus maleficii nihil conſcio, putant nonnulli partem mediam ad eum pertinere, eo quòd non videatur Dominus ob alterius maleficium ſuâ medietate privandus.

Nota in his etiam ſpectandas eſſe locorum conſuetudines: nam quibuſdam in locis theſauri omnes applicantur Regi, quartâ aut quintâ parte Inventori relictâ. Ut in Caſtellâ, teſte Covarr. in Galliâ dimidium eſt Inventoris, & dimidium Regis, aut ſi quis alius ſit Alius Juſtitiarius. Vide Chopinum, Paponem &c. Quòd ſi alicubi leges theſauros ubicumque repertos Regi applicent, dicit Bannes 2. 2. q. 66. ar. 3. Concluſ. 7. eas non obligare antequam exigantur.

Q. 2. *Cujus ſint alia inventa?*

R. Circa res alias inventas tenenda ſunt ſequentia:

1. Si nullius unquam fuerunt, ut Lapilli, Gem-

mæ &c. quæ in littore Maris inveniuntur, fiunt non primò videntis ſed primò occupantis.

2. Si res inventa fuerit quidem antea alicujus; ſed jam nullius, fit primò occupantis, adeoque de illâ tamquam ſuâ diſponere poteſt. Excipe theſauros de quibus antea.

Si tamen res inventa adhuc dominium habeat, licèt incertum, non fit Inventoris, ſed manet Domini. Pro quo

Nota Rem perditam cenſeri eſſe nullius, ſeu adeſpotam, quando ita eſt extra poteſtatem Domini, ut neque per ſe, neque per alium recuperare eam poſſit, quòd rarò accidit: vide Lugo diſp. 6. n. 100. &c. Hinc, etiam poſt factam omnimodam diligentiam in inquirendo Domino, non propterea illo non reperto res fit nullius: ſæpè enim accidit ut poſt talem diligentiam caſu reperiatur is cujus eſt res perdita, debetque illi reſtitui. Igitur

In praxi cùm inventa eſt res aliqua, niſi omninò conſtet illam eo deveniſſe, ut planè ſit extra Domini poteſtatem, ut in quibuſdam raris caſibus, de quibus Lugo ſup.

1. Inquirendum eſt ſeriò de Domino rei, etiam curando fieri Proclamationes in iis locis, unde ſperatur habenda notitia (ſi nempe res ſit alicujus momenti) ac deinde Domino comparenti reddenda gratis (ſubductis tamen expenſis inquiſitionis, & Proclamationum, ſi quæ fuerint) niſi ex liberalitate Dominus aliquid largiatur.

2. Si poſt eam diligentiam elapſo tempore ſufficienti Dominus non compareat, communior ſententia eſt rem, aut ejus valorem, impendi debere in pia opera v. g. in Pauperes, Eccleſias, &c. niſi Inventor ipſe ſit pauper ſecundùm ſuum ſtatum, tunc enim poteſt ſibi retinere. Et hæc eſt praxis timoratorum. Sotus tamen, Navarra,

Ledeſma, Diana &c. abſolutè putant poſſe retineri ab Inventore, quod probabile putat Leſſ. l. 2 c. 14. n. 48.

Quòd ſi poſt diligentem inquiſitionem, & datum tempus ſufficiens, Dominus compareat, Inventor tenetur rem reſtituere, ſi adhuc illam habeat vel in ſe, vel in æquivalenti: ſi autem jam illam impenderit in opus pium, ad nihil tenetur.

An autem Pauper cui res data eſt, teneatur Domino comparenti eam reſtituere, ſi adhuc extet, diſputatur. Communiùs affirmant DD. negat Henriquez cui favet Navarra &c. juxta quam ſententiam ſi ipſemet Inventor, quamvis non pauper, rem aut ejus pretium conſumpſerit, non eſſet obligandus ad reſtituendum, niſi quatenus eſt factus ditior, aliter dicendum ſi non ſit facta ſufficiens diligentia in inquirendo Domino: tunc enim Inventor tenetur vel rem, vel ejus valorem reddere.

Q. 3. *Quid dicendum de Lapicidinis, Venis Metallicis &c.?*

R. Lapicidinæ, ſive Marmoreæ, ſive Carbonariæ, aut alterius generis, item Cretifodinæ, Arenariæ, aliæque ſimiles quæ in Fundo alicujus ſunt, jure communi pertinent ad Dominum Fundi, quia talia ſunt pars Fundi, qui non conſiſtit in ſolâ ſuperficie, ſed in totâ profunditate uſque ad centrum. Ob eandem rationem, ſiſtendo in ſolo jure Naturali aut Gentium, idem dicendum videtur de Venis Metallicis Auri, Argenti, Ferri, Plumbi &c. At jure ſpeciali variorum Regnorum Venæ Metallicæ, etiam in fundo privatorum repertæ, ſunt partim Principis, partim Inventoris, ut hâc ratione Princeps publica onera ſuſtineat; & quilibet ad eas inveſtigandas incitetur.

Quæri hîc ſolet, an poſito quod ejuſmodi Venæ, aut Lapicidinæ pertineant ad Dominum Fundi,

di, qui privatim ſciret in agro alterius latere ejuſmodi venas, poſſit emere agrum illum vulgari pretio?

Negant Vaſquez, Salon, Turrianus: quia hoc ipſo ager per ſe & intrinſecè pluris valet, & venditor decipitur in rei ſuæ ſubſtantiâ, ſicut ſi quis vili pretio emeret Gemmam à Ruſtico ignorante ejus valorem. Affirmant Mol. Diſp. 353. Lugo. Sylvius &c. Ratio eſt quia iſte ager communi, etiam Peritorum judicio, ſpectatis omnibus quæ attendi poſſunt & ſolent, non pluris valet: pretium autem rerum petendum eſt ex communi æſtimatione, & per reſpectum ad eam utilitatem cujus haberi poteſt publicâ notitiâ. Undè patet non eſſe ſimile in Gemmâ emptâ à Ruſtico. Eſſet paritas, ſi ea haberet in ſe peculiarem aliquam virtutem communiter ignotam mihi tamen privatim cognitam; tunc enim poſſem illam emere pretio communi talium Gemmarum.

§. IV.

De aliis modis acquirendi Dominii?

Q. *Qui ſint alii ſpeciales modi acquirendi Dominii?*

R. Illi ſunt: Alluvio, Specificatio, Acceſſio, Confuſio, Commixtio, Inædificatio, Implantatio, Scriptio, Pictio: de quibus §. *Propterea quod* & ſeqq. Inſtit. De Rerum diviſione & L. *adeo* 1. ff. De acquirendo Rerum Dominio. De his ſint ſequentia.

1. *Per Alluvionem* acquiritur Dominium ejus quod vi aquarum inſenſibiliter uni fundo detrahitur & alteri adjicitur. Et eſt Domini Fundi cui fit adjectio.

Dixi *inſenſibiliter*: nam ſi partem, tui præ-

dii notabilem ſubita aquarum tempeſtas adjecerit meo, ea tibi remanet.

2. *Per Specificationem* Dominium acquiritur, quando quis in alienam materiam, ita novam ſpeciem inducit, ut ad priorem ſtatum reduci non poſſit. Ut ſi ex alieno frumento, aut farinâ facias panem, panis eſt tuus; ſed alteri datur actio pro valore ſuæ materiæ, & damnis compenſandis, ſi quæ ſint. At ſi materia in priſtinum ſtatum reduci poſſit, ut Scyphus argenteus in maſſam argenteam, Dominium ſcyphi acquiritur ei, cujus eſt materia.

3. *Per Acceſſionem:* ut ſi quid ad ornatum alteri adjiciatur v. g. Gemma annulo aureo; id, quod adjicitur, licèt ſit pretioſius, jure Acceſſionis acquiritur Domino rei, cui ſacta eſt Acceſſio. Conceditur tamen Domino Gemmæ actio ad exhibendum annulum ut Gemma eximatur.

4. *Per Confuſionem:* ut ſi materiæ ad duos diverſos Dominos ſpectantes, ſive caſu, ſive communi conſenſu confundantur, quod reſultat, fit commune utrique pro ratâ materiæ, ſiquidem materiæ ab invicem ſecerni nequeant, ut vina inter ſe confuſa. Si tamen materiæ, amiſsâ propriâ ſpecie tranſiverint in tertiam (v. g. Vinum & Mel in Mulſum) qui ſpeciem fecit abſque alterius conſenſu, fit ejus Dominus per Specificationem, ut ante. Quod ſi materiæ facilè ſecerni poſſint, ut Plumbum & Argentum, datur actio in rem.

5. *Per Commixtionem:* ut ſi triticum unius miſceatur tritico alterius: ſi de utriuſque conſenſu fiat, acervus fit communis: ſi contra voluntatem, datur actio in rem quatenus diſcerni poteſt quid cujuſque ſit.

6. *Per Inædificationem:* nam ædificium in Fundo alieno erectum, cedit Domino Fundi, neque tenetur is quidquam reſtituere. Si tamen ædifi-

cans eſſet in bonâ poſſeſſione Fundi ; tenebitur Dominus Fundi materiam & operas ſolvere. Item ſi in Fundo unius fiat ædificium ex materiâ alterius, Domino fundi acquiritur Dominium materiæ : undè ſi Titius in ſuo Fundo de Caii materiâ ædificet, Titius Caii materiam facit ſuam, nec Caius habet actionem in rem quamdiu ſtat ædificium, ſed ſolùm in Titii perſonam. Eo tamen diruto poteſt vindicare materiam, niſi pro eâ ſit illi ſatisfactum à Titio. Quòd ſi Titius ex Caii materiâ in Fundo Sempronii ædificet, ædificium cedit Sempronio : poteſt tamen Caius petere æſtimationem materiæ ſuæ, vel eam vindicare ſi diruatur ædificium.

7. *Per Implantationem* : nam arbor in aliquo Fundo à quolibet plantata, eo ipſo quo radices egit, cedit Domino Fundi. Si quis tamen ex alieno Fundo, arborem in ſuo tranſplantaverit, tenetur alteri de damno. Et idem eſt cum proportione de ſeminibus in agro alieno jactis. Si tamen ſerens bonâ fide proceſſerit, putans Fundum alienum, eſſe ſuum, debet ei ſatisfieri pro ſemine & operâ.

8. *Per Scriptionem* in alienâ chartâ aut membranâ, jure antiquo Dominium ſcripturæ etiam aureæ, cedebat Domino chartæ & membranæ. At hodie, quia charta & membrana viliora ſunt, contrarium uſu receptum eſt.

9. *Per Pictionem* in tabulâ alienâ, pictor tabulam facit ſuam, ſed tenetur Domino tabulæ de damno. Si tamen imago eſſet rudis & exigui pretii, tabula autem pretii majoris, tunc tabula, tamquàm Principale attraheret ad ſe imaginem, velut Acceſſorium.

De his, pluribus agunt Iuriſtæ, & ex Theologis Molina, Layman, Tannerus, Lugo & alii.

CAPUT V.

De Præſcriptione.

HIc eſt præcipuus & frequentiſſimus modus acquirendi Dominium rei alienæ abſque alterius conſenſu ex Legis diſpoſitione.

Q. 1. *Quid Præſcriptio, & an Dominium transferat in conſcientiâ?*

R. 1. Præſcriptio definiri ſolet: Adjectiò, ſeu Adeptio Dominii per continuationem poſſeſſionis temporis lege definiti.

Dicitur *Dominii* ſub quo etiam comprehenduntur alia Iura, ut Servitutes, Officia, Beneficia &c.

R. 2. Præſcriptio legitima transfert Dominium, etiam in conſcientiâ.

Prob. Quia eſt in Principe ſufficiens poteſtas, ex juſtâ cauſâ, & propter bonum commune, transferendi Dominium rerum abſque conſenſu aut culpâ prioris Domini: atqui hâc poteſtate uſi ſunt Principes, & ex juſtis cauſis ob bonum publicum voluerunt præſcriptione transferri rerum Dominia, ut patet ex pluribus Legibus Iuris Civilis, quas etiam approbat Ius Canonicum, quod præcipuè bonum animæ ſpirituale ſpectat, ut patet ex toto titulo de Præſcriptionibus.

Iuſtæ autem hujus rei cauſæ ſunt: ut Rerum Dominia non nimis diu, imò ſemper maneant incerta: ut lites non multiplicentur in infinitum: nam eo ipſo quo quis agnoſceret aliquid pertinuiſſe olim ad ſuos Majores, jam poſſet poſſeſſori litem indicere, ut videret quâ ratione obtinuiſſet; quæ omnia per præſcriptionem ſublata ſunt. Deniquè ut puniatur & corrigatur nimia hominum incuria, & negligentia in ſuis Bonis requirendis.

Coll. Eum qui finitâ Præſcriptione deprehendit rem hactenus fuiſſe alterius, non teneri illam reſtituere, ſed poſſe vi præſcriptionis retinere etiam in conſcientiâ; niſi in caſibus quibus prior Dominus per Iudicem reſtituitur in integrum.

Q. 2. *Quæ conditiones requirantur ad legitimam Præſcriptionem.*

R. Requiri quatuor quæ ſunt Poſſeſſio, Bona Fides, Titulus, & Tempus lege definitum.

1. Igitur requiritur *Poſſeſſio*, nempe Civilis, quæ ſola ſufficit, adeoque Naturalis non eſt neceſſaria. Hinc Occupator rei alienæ non poteſt inchoare Præſcriptionem, quamdiu Dominus adhuc poſſidet Civiliter. Et qui incapax eſt poſſeſſionis; v. g. Religioſus reſpectu bonorum temporalium, Laïcus reſpectu rerum Sacrarum &c. eſt etiam incapax Præſcriptionis.

Nota eum qui per alium poſſidet v. g. per Colonum, Procuratorem &c. poſſe præſcribere, non tamen eum qui alieno nomine poſſidet v. g. Tutorem, Conductorem, Commodatarium, Colonum &c. item Emphiteutam & Feudatarium quoad Dominium directum; quia licet rem Naturaliter poſſideant, non tamen Civiliter.

2. Requiritur *Bona fides*. Id eſt perſuaſio quâ quis prudenter credit rem eſſe ſuam, aut ſaltèm neſcit eſſe alienam. Hæc autem requiritur non ſolùm ad inchoandam, ſed etiàm ad continuandam Præſcriptionem.

3. Requiritur *Titulus*, non neceſſariò validus; ſed exiſtimatus talis, ſeu qui prudenter putetur validus, ſitque talis ex genere ſuo, licet vitietur per accidens ex aliquâ occultâ circumſtantiâ: ut ſi rem emeris ab eo quem prudenter exiſtimabas eſſe Dominum, cùm non eſſet.

Coll. Ad Præſcriptionem non ſufficere bonam

fidem qualemcumque, cùm hæc inveniri poſſit abſque titulo, v.g. in eo qui bonâ fide putat ſe rem emiſſe, cùm non emerit. Aliud ergo eſt exiſtimare ſubeſſe juſtum titulũ, cùm nullus reipsà ſit, & aliud reipsâ ſubeſſe aliquem titulum, qui validus exiſtimetur, cùm ob occultum aliquem defectum talis nõ ſit. Primum ſufficit ad bonam fidem, ſed non ad Præſcriptionem. Secundum ſufficit, & requiritur ad Præſcriptionem.

4 Requiritur *Tempus lege definitum*, quod eſt quadruplex, aut quintuplex nempe, *Breve, Longum, Longiſſimum*, 100. *annorum*, *& Immemoriale.*

Breve dicitur quod eſt minus decennio. *Longum* eſt 10. annorum inter præſentes: 20. inter abſentes. *Longiſſimum* dicitur 30. aut 40. annorum. *Immemoriale* eſt, cujus initii non extat memoria. Quę ſit autem differentia inter tempus Immemoriale & 100. annorum. Vide apud Covarr. Molinam &c.

Nota Iure Civili præſentes dici in ordine ad Præſcriptionem, qui exiſtunt in eâdem Provinciâ, abſentes qui in diverſâ, ſive res de cujus Præſcriptione agitur, ſit in eâdem Provinciâ, ſive non, ſed in his ſpectanda eſt locorum conſuetudo.

Quantum autem temporis requiratur ad Præſcriptionem rerum tùm mobilium, tùm immobilium, item quænam dicantur mobilia, & quæ immobilia, petendum eſt, tum ex Iure Communi, tum maximè, ex juribus, & Conſuetudinibus particularibus locorum, de quibus conſulendi Iuriſperiti.

Q. 3. *Quod dubium, & quæ ignorantia impediat Præſcriptionem?*

R. 1. Circa dubia dicendum eſt 1. qui dubitat an res ſit ſua, an aliena, non poteſt manente dubio, inchoare Præſcriptionem.

2. Si tale dubium oriatur poſt inchoatam bonâ fide poſſeſſionem, non impedit Præſcriptionis continuationem. Eſt communis contra Sotum, & paucos alios. De quo vide Sylveſt. v. *Præſcriptio.*

Quòd ſi non ſit utrimque æquale dubium, ſed ſint probabiliores rationes pro alterâ parte, probabile eſt rem nihilominùs poſſe adhuc retineri, & præſcribi: quia quamdiu rationes illæ non evincunt contrarium, adeòque dubium non tollunt, non debet quis ſpoliari re quam poſſidet. Varii tamen aliter ſentiunt, quorum aliqui volunt rem ex toto reſtituendam eſſe, alii dividendam &c. De his vide Vaſq. 1. 2. Diſp. 66. c. 7. & Caſtropalao p. 1. Diſp. 3. p. 2.

3. Si quis tamen non tantùm dubitet an res ſit aliena, ſed etiam an poſſit eam retinere, & interim eam retineat, fit hoc ipſo poſſeſſor malæ fidei, nec poteſt illam præſcribere. L. *Si Fur.* ff. De Uſucapionibus. Quòd ſi probabiliùs putet, etſi non certò, ſibi licere rem retinere, juſtè illam retinet ex dictis in tractatu de Conſcientiâ, ubi de ſententiâ probabili.

R. 2. Circa ignorantiam, advertendum eſt hîc, conformiter ad alibi dicta, aliam eſſe ignorantiam facti, aliam juris: item aliam eſſe vincibilem, ſeu culpabilem, aliam invincibilem.

Ignorantia *facti* eſt, cum quis neſcit aliquid factum, vel omiſſum eſſe, ratione cujus titulus Poſſeſſionis non eſt validus.

Ignorãtia *Iuris*, cum quis putat aliquid ſufficere ad juſtam cauſam poſſidendi, quod re ipſâ ſecundum Iura non ſufficit. v. g. emiſti quidpiam ab eo quem ſciebas eſſe Pupillum, ſed neſciens Pupillum non poſſe vendere, eſt ignorantia Iuris: at ſi hoc ſciebas ſed neſciebas eſſe Pupillum, eſt ignorantia facti.

Certum eſt ignorantiam vincibilem ſeu Iuris, ſeu facti, non cauſare bonam fidem, ſed malam

& peccaminoſam:item utramque ignorantiam, ſi ſit inculpabilis, cauſare bonam fidem Theologicam, ſeu ſufficientem ad non peccandum.

Quod ergo hic quæritur, eſt, an ignorantia inculpabilis ſeu Iuris ſeu facti, cauſet bonam fidem Civilem. id eſt, ſecundum Iura ſufficientem ad præſcribendum? pro quo ſint ſequentia.

1. Invincibilis Ignorantia facti non impedit Præſcriptionem.

2. Ignorantia Iuris clari, etiam inculpata impedit Præſcriptionem, ſaltem ordinariam.

Dico *juris clari*: Quia ſi Ius ſit dubium, ejus ignorantia ſeu error non impedit Præſcriptionem juxta plures, ſecundùm quos ignorantia Iuris dubii æquiparatur ignorantiæ facti. Imò docet Ioannes Medina ignorantiam invincibilem Iuris clari, non obeſſe Præſcriptioni in Foro interno ſeu in conſcientiâ.

Ad leges in oppoſitum, dicit eas niti præſumptione malæ fidei, vel ignorantiæ affectatæ; adeóque ſi ignorantia nullo modo ſit culpabilis; non obeſſe. Et hanc ſententiam probabilem eſſe cenſet Leſſ. Lugo. Wighers, Dicaſtillo, &c

Probabile etiam eſt ignorantiam juris inculpatam non impedire Præſcriptionem, immemorialis aut longiſſimi temporis, ut docent Covarr. Leſſ. Wighers contra Molinam, & ideò dixi *ſaltèm ordinariam.*

3. Probabile eſt fructus rei, etiam cum ignorantiâ Iuris inculpatâ, præſcribi ordinario tempore. Ratio eſt quia ignorantia, ſeu error circa fructus videtur eſſe error facti, cum putet Poſſeſſor ſe illos percipere ex re ſuâ. Ita Leſſ. Covarr. &c. ex L. *Sed etſi* §. 6. ff. De petitione Hæreditatis. Abbas tamen, & Bartolus, quos ſequitur Layman, Contrarium ſentiūt ſaltem quoad fructus extãtes.

Q. 4. *An, & quo uſque mala fides Authoris noceat Succeſſori?*

Author ſeu bonæ, ſeu malæ fidei, hîc dicitur, à quo Ius rei per Præſcriptionem habitæ, in alium tranſit: is yerò in quem Ius tranſit, dicitur Succeſſor. Alius autem eſt Succeſſor univerſalis, qui nempe titulo hæreditatis; alius particularis, qui alio quolibet titulo, putà Legati, Donati, Empti &c. alteri ſuccedit.

R. 1. Si res ſit furtiva, aut vi poſſeſſa quocumque titulo eam Succeſſor ab Authore malæ fidei accipiat, non poteſt præſcribi, niſi tempore longiſſimo. Quod non tantùm verum eſt de immediato Succeſſore, ſed etiam de mediato, ſeu remoto, quamvis hic ab Authore bonæ fidei acceperit. Ratio eſt, quia ſecundum Iura, Furtum & violenta poſſeſſio ſunt vitium reale, ſeu rei inhærens, eamque ſemper comitans, quantumcumque ambulet poſſeſſio, ſive ad quoſcumque res ſic vitioſa devenerit. Tempore tamen longiſſimo cenſetur vitium iſtud purgari.

2. Si res non ſit furtiva, aut vi poſſeſſa Succeſſor particularis qui illam accepit ab Authore malæ fidei, poteſt illam præſcribere tempore ordinario.

3. Succeſſor univerſalis ſive hæres cujuſvis poſſeſſoris malæ fidei, ſi ſit immediatus, non poteſt res ita poſſeſſas præſcribere, niſi tempore longiſſimo. Ratio eſt, quia Hæres immediatus, fictione Iuris eſt eadem perſona cum defuncto, & eorum poſſeſſio, una eademque poſſeſſio.

Dixi, *ſi ſit immediatus:* quia Hæres mediatus ſive Hæres Hæredis (ſi hic uterque fuerit bonæ fidei) uſu-capere ſeu præſcribere poteſt.

Q. 5. *Quid ſit Præſcriptionem non procedere, dormire, interrumpi?*

R. 1. Præſcriptio propriè dicitur *non procedere*, quando defectu alicujus conditionis non poteſt incipere; Subindè etiam ſumitur pro ly non

currere, ſive hoc fiat interruptione, dormitione, ſive ex defectu inceptionis.

2. *Dormire* dicitur, quando ſemel inchoata ceſſat, ſic poſt aliquod tempus revictura, ut tempus reviviſcentiæ conjungatur cum priore, ad complendum requiſitum Præſcriptionis ſpatium. Quod accidit 1. Dum judicia exerceri nequeunt, ut tempore Belli, Peſtis &c. 2. Dum Eccleſia caret Rectore, 3. Quando is contra quem præſcribitur, non poteſt Ius ſuum perſequi, ut Filius Familias reſpectu Bonorum adventitiorum.

3. *Interrumpi* dicitur, quando inchoata exorto impedimento, ſic ceſſat, ut ſi rurſum reviviſcat, non continuetur cum anteriori tempore, ſed de novo ſit inchoanda, quod fit dupliciter.

1. *Naturaliter*, ut dum deeſſe incipit aliqua conditio ad Præſcriptionem requiſita v. g. Bona Fides, aut Poſſeſſio Civilis &c.

2. *Civiliter*, quando fit per Litis conteſtationem coram Judice legitimo.

Q. 6. *Quæ res non præſcribantur?*

R. Abſolutè præſcribi non poſſunt res ſequentes.

1. Homo liber.

2. Res Sacræ vel Religioſæ, ut ſunt Templa, Cœmeteria &c.

3. Res uſibus publicis deputatæ, ut Pontes, viæ publicæ &c.

4. Exemptio Subditi à Superioris obedientiâ, viſitatione &c. quamdiu manet ſubditus: nam immunitas quâ quis deſinat eſſe Subditus, præſcribi poteſt contra Principem, aut Superiorem ſaltèm tempore immemoriali.

5. Res Pupilli. Vide pro his Mol. Diſp. 79. Leſſ. Dub. 15. Malder. &c.

Dixi *abſolutè*, nam ſunt quædam, quæ in Iure dicuntur non poſſe præſcribi, quia non poſſunt præſcribi tempore ordinario, quæ tamen abſolu-

vè præſcribi poſſunt longo tempore aut ſaltèm tempore immemoriali, ut ſunt res Fiſci, res Furtivæ & vi poſſeſſæ &c.

Q. 7. *Quibus concedatur Reſtitutio in integrum contra Præſcriptionem?*

Reſtitutio in integrum hìc, eſt remedium Iuris, quo Iudicis authoritate Dominium Præſcriptione amiſſum recuperatur.

R. Concedi 1. Minori 25. annis, licèt ipſo ſciente, & impedire valente cucurrerit Præſcriptio. L. unicâ Cod. Si adverſus uſucap.

2. Eccleſiis & piis Locis.

3. interdum conceditur majoribus ob juſtas cauſas, ut ſi quis Reipublicæ causâ abfuit, vel fuit in hoſtium poteſtate &c. Et univerſim ſi probare poſſint cum juſtâ & invincibili ignorantiâ ſuâ, aut omninò ſine ſuâ negligentiâ Præſcriptionem completam fuiſſe. Quamvis hoc varii putent non eſſe concedendum majoribus, niſi quoad Præſcriptionem 10. & 20. Annorum.

CAPUT VI.

De Contractibus ingenere.

DUobus præcedentibus Capitibus egimus de modis acquirendi Dominii abſque alterius conſenſu; in ſequentibus agemus de modis illud acquirendi ex conſenſu prioris Domini, quod fit præcipuè per Contractus.

§. I.

De Natura Contractûs eiusque Diviſionibus.

Q. 1. *Quid Contractus & an idem ſit ac Pactum?*

R. Contractus ſtrictè ſumptus definiri ſolet: *ultrò citròque obligatio.* Quæ deſcriptio non eſt formalis, ſed per effectum: nam Contractus non eſt formaliter, ſed cauſaliter obligatio. Formaliter autem eſt Pactum ultrò citròque, id eſt utrimque obligationem pariens. Ex quo

Coll. Contractum ſtrictè ſumptum, eſſe ſpeciem Pacti, & ab eo diſtingui per hoc quod Contractus importet utrimque obligationem; Pactum autem ab eo abſtrahat: Pactum enim, ſeu Pactio definitur, *duorum, pluriumve in idem placitum conſenſus.* In quo non importatur mutua obligatio. Verùm jam contractus ſumi ſolet latiùs ut idem ſit ac pactum in genere, extendaturque etiam ad actus importantes obligationem tantùm ex unâ parte v. g. donationes & promiſſiones. Et ita nos deinceps accipiemus.

Porrò obligatio proveniens ex contractu, eſt triplex, *Naturalis*, *Civilis*, *& Mixta.*

Merè Naturalis eſt, quæ urget in conſcientiâ, ſed non parit actionem in Foro externo, eoquòd jus non aſſiſtat contractui ex quo oritur, quamvis nec ei reſiſtat; nam ſi reſiſteret, irritando Contractum, eliderctur & ipſa obligatio Naturalis. Talis eſt quæ oritur ex pacto nudo, de quo infra.

Merè Civilis eſt, quæ in conſcientiâ non ligat, parit tamen actionem in Foro externo.

Mixta eſt, quâ Civilis conjungitur cum Naturali. ut plerumque fit, quando ſcilicet ligat & in conſcientiâ, & in Foro externo. Talis oritur ex Con-

tractibus perfectis, ut Venditione, Locatione &c. Et hæc paſſim intelligitur nomine obligationis ſimpliciter.

Q. 2. *Quomodò dividatur Contractus in genere?*

R, Dividitur 1. in contractum *Nominatum*, & *innominatum*.

Nominatus dicitur qui in jure proprium & ſpecificum nomen habet, ut Emptio, Locatio &c.

Innominatus qui non habet nomen ſpeciale, ſed tantùm genericum. Hujus quatuor ſunt ſpecies his verbis exprimi ſolitæ: *do ut des; do ut facias; facio ut des, facio, ut facias.*

Dividitur 2. in *Gratuitum & Onerosum*.

Gratuitus eſt in quo nihil rependitur ut Donatio. Commodatum &c.

Onerosus eſt in quo aliquid rependitur, ut Emptio, Locatio &c.

Dividitur 3. in *Pactum Nudum; & Veſtitum.*

Nudum eſt ſimplex duorum conventio nullùm habens à Iure Civili fundamentum quo pariat actionem in Foro externo tales ſunt, per ſe loquendo, omnes Contractus innominati.

Pactum Veſtitum eſt, quod præter conventionem partium, habet aliquid annexum ratione cujus parit actionem civilem.

Q. 3. *An Pactum nudum pariat obligationem in conſcientiâ?*

R. aff. cum Communi. Quia etſi jus Civile ejuſmodi pactis non aſſiſtat, actionem tribuendo in foro externo, ne ſcilicet nimiùm multiplicentur lites, iis tamen non reſiſtit ea irritando: ergo illa relinquit in ſtatu & vigore, quem habent ex naturâ rei: atqui ex naturâ ſuâ habent vim obligandi in conſcientiâ, cùm ad hoc, ſuppoſitâ capacitate materiæ & perſonarum, aliud non requiratur quàm conſenſus mutuus ſignis exterioribus expreſſus: ergo &c.

§. II.

De consensu ad Contractum requisito.

Q. 1. *An & quomodo Error, vel Dolus reddant Contractum invalidum?*

Nota 1. *Errorem* hîc eſſe deceptionem, quæ intervenit in Contractu abſque ullius culpâ.

Dolus eſt deceptio procurata ex alterius contrahentis vel cujuſdam tertii fraudulenta machinatione.

Nota 2. *Errorem vel Dolum* poſſe eſſe 1. circa ſubſtantiam rei de quâ contrahitur, ut ſi emas vitrum pro gemmâ; aut circa naturam Contractûs, ut ſi conſentias in Contractum putans eſſe Venditionis, cùm tantùm ſit Locationis; aut circa motivum ſeu objectum principale Contractûs; ut ſi Caiæ Dotem promittas ideò præcisè quia credis eſſe conſanguineam, cum non ſit.

2. Circa circumſtantiam, ſeu qualitatem aliquam accidentalem, ſive rei de quâ contrahitur, ut ſi equum quem emis, putes eſſe juvenem, cum ſit ſenex: ſive ipſius Contractûs; ut ſi Caia nubens neſciat Viro competere Bonorum adminiſtrationem: ſive motivi principalis; ut ſi determineris ad ducendam Caiam, quia credis eſſe Nobilem, Divitem &c. cum non ſit.

Nota 3. Sæpe fieri, ut quod eſt accidens in uno Contractu, ſit de ſubſtantiâ reſpectu alterius. Nam perſona v. g. cum quâ contrahitur, cenſetur accidens in Contractibus Onerosis, ſaltèm pleriſque, in quibus nihil aut parum intereſt cum quo contrahatur: at in gratuitis v. g. Promiſſione, Donatione, &c. Item in Matrimonio, eſt de ſubſtantiâ Contractûs. Unde ſi quis vendat Petro putans eſſe Paulum, tantùm errat in accidente. At

ſi quis donet, aut promittat Petro, putans eſſe Paulum, errat in ſubſtantiâ. Item ſi quis contrahat Matrimonium cum Caiâ, putans eſſe Titiam.

Nota 4. *Errorem* vel *Dolum* poſſe eſſe antecedentem, & dare cauſam Contractui, ſic ut niſi is interveniſſet, non contraxiſſes: vel ſolùm concomitantem, ſeu talem ut non cauſet ſubſtantiam Contractûs, ſed ſolùm aliquam ejus circumſtantiam, ut ſi illo non interveniente contraxiſſes quidem, ſed non cum tanto onere, tanto pretio &c. His prænotatis

R. 1. *Error* qui verſatur circa ſubſtantiam rei, vel circa naturam Contractûs, vel circa motivum ſeu objectum principale illius, invalidat Contractum jure naturæ. Mol. Leſſ. & alii communiſſimè. Ratio eſt, quia iis caſibus non habetur conſenſus ſubſtantialis eſſentialiter requiſitus ad Contractum. Circa hęc

Advertendum 1. ſi quis errans vel circa rei ſubſtantiã, vel circa naturam Contractûs &c. nihilominus velit abſolutè Contractum ſuum ſubſiſtere v. g. ſi quis emens Aſinum putans eſſe Equum, quem non emeret, ſi ſciret eſſe Aſinum, abſolutè intendat emęre hoc animal, qualecumque ſit, Emptio erit valida.

Item ſi quis falsò credens Matrimonium eſſe ſolubile, adeoque habens intentionem faciendi Contractum ſolubilem, nihilominus habeat voluntatem generalem faciendi Contractum, quem alii faciunt, Matrimonium erit validum vi iſtius voluntatis & conſenſûs generalis, qui debet cenſeri abſolutus & efficax, & alius tantùm inefficax. Alioquin ſi quis in 1. caſu efficaciter tantùm vellet emere Equum, & potius non contrahere quàm emere Aſinum: & in 2. efficaciter vellet tantùm facere Contractum ſolubilem, & potius non contrahere, quàm contrahere indiſſolubiliter, inva-

lidè contraheret. In foro tamen externo ſemper præſumitur eum qui contrahit, ſcire naturam contractûs, niſi conſtet de contrario.

Advertendum 2. motivum ſubſtantiale ſeu principale intrinſecum Contractûs, diſtingui à cauſis ſeu rationibus impulſivis: nam ratio impulſiva eſt quid Contractui extrinſecum, impellens ad contrahendum, ut plerumque ſunt Nobilitas & Divitiæ &c. in Contractu Matrimonii. Motivum autem intrinſecum & ſubſtantiale, eſt ipſum objectum in quod voluntas fertur dum contrahit, v. g. in Contractu Matrimonii, acquiſitio Dominii in corpus Conjugis.

Porrò in Cõtractibus Gratuitis v. g. Donationibus propter cauſam &c. plerumque fit ut ratio impulſiva etiam habeat rationem motivi ſubſtantialis, ſecùs in Onerofis. Ratio eſt quòd in Gratuitis ordinariè non ſe offerat aliud motivum in ipſo actuali Contractu, quàm quod antè me determinârat; ſecùs in onerofis: nam licèt extrinſecè determiner ad tibi vendendum potius quam alteri, quia meus es conſanguineus, conſanguinitas non eſt motivum principale & intrinſecum Venditionis ſed acquiſitio Dominii in pretium illius, & ita de aliis.

R. 2. Si *Dolus* aut *Error* verſetur circa qualitatem accidentalem, & ſit tantùm concomitans, non invalidat Contractum; cùm tunc inveniatur ſufficiens voluntarium, & conſenſus ſubſtantialis. Unde ſi rem pluris emas quàm valeat, tenet Contractus, nec reſcindi poteſt nolente venditore, ſed ſolùm reduci debet ad æqualitatem.

R. 3. ſi *Dolus* aut *Error* qui verſatur circa qualitatem accidentalem, det cauſam Contractui, non invalidat Contractum jure naturæ, ſi tamen Dolus proveniat à parte contrahente, videtur irritari poſſe: pro arbitrio decepti, ſi ſolubilis ſit. Quod

adde

addo propter Contractum Matrimonii. Leſſ. Layman. Sanchez. &c. contra Mol. & quoſdam alios.

Prob. 1ª. Pars quia eo nonobſtante habetur ſufficiens conſenſus circa ſubſtantialia. Quod ulterius probatur in Contractu Matrimonii, quem in caſu concluſionis valere paſſim fatentur omnes, etiam Molina, ut ſi aliquam ducas, quia fingit ſe Divitem, Nobilem &c. Intellige, niſi qui contrahit animum habeat poſitivè repugnantem tali defectui, & ſit ita actualiter vel virtualiter diſpoſitus, ut nullo modo velit contrahere, exiſtente tali defectu; ut ſi velocitas in Equo, ſi divitiæ vel nobilitas, quæ jactantur, in Conjuge non ſubſiſtant: tunc enim Contractus ſaltem in conſcientiâ nullus eſt, defectu conſenſûs ſufficientis.

Prob. 2ª. Pars quia qui decepit, fecit injuriam, tenetur que deceptum reſtituere in integrum, &, ſi deceptus velit, rem pro infectâ habere.

Quòdſi Dolus inſcio contrahente adhibitus ſit ab aliquo tertio, probabilius eſt Partem læſam non poſſe reſilire, quia contrahens non fecit injuriam. Ei tamen jure Civili competit actio de Dolo contra deceptorem.

Q. 2. *An Contractus ex metu initus ſit validus?*

R. 1. Contractus ex metu gravi, etiam à parte contrahente injuſtè incuſso ad extorquendum conſenſum, etſi juxta communem non ſit invalidus jure naturæ, nec jure poſitivo ſaltèm ordinariè (quod addo, quia nonnulla excipiuntur, ut Matrimonium &c.) reſcindi tamen poteſt pro arbitrio metum paſſi. Quod etiam verum eſt, etſi metus proveniat ab aliquo tertio, ut expreſsè habetur L. *Item ſi*: 14. ff. quod metûs cauſa. & alibi. Circa hæc.

Nota 1. Contractum eo caſu, non tantùm reſcindi poſſe officio judicis, ſed etiam in conſcientiâ irritari pro arbitrio metum paſſi; ſaltèm quan-

do metus provenit à parte contrahente; quia tunc fecit injuriam, & tenetur læſum in integrum reſtituere.

Quòd ſi metus incuſſus ſit ad extorquendum conſenſum, non à parte contrahente, ſed abſque omni ejus culpâ, ab aliquo tertio, adhuc probabile eſt reſcindi poſſe pro arbitrio læſi, quia res injuſto metu extorta, ratione iſtius injuriæ ſemper manet obligata priori Domino, & veluti cum iſto vitio transferri cenſetur ad quemvis alium poſſeſſorem. Hinc jure poſitivo non tantùm datur actio in perſonam quæ metum intulit, ſed etiam in rem ad quemcumque pervenerit. L. *Metum* 9. §. 4. ff. Quod metûs cauſa.

Cæterùm quia oppoſitum eſt etiam probabile, is qui bonâ fide contraxit cum metum paſſo, non eſt facilè cogendus in conſcientiâ ad reſtitutionem priuſquam is actionem intentet, quæ beneficio Legis ei competit. Leſſ. Layman. & alios.

Nota 2. Ad hoc ut dicti Contractus reſcindi poſſint à metum paſſo, requiritur, ut metus ſit incuſſus ad extorquendum conſenſum: quia ſi v. g. à Latronibus ſpoliandus promittas Titio tranſeunti 100. Aureos ut te liberet, valet Contractus, nec reſcindi poteſt neque in foro conſcientiæ, neque in foro externo, ſi nempè Titius neque teneatur ex officio latrones cohibere, neque eorum latrocinii ſit Particeps: quia tunc injuria quam inferunt latrones, non tàm eſt cauſa promiſſionis, quàm occaſio, cum metus non ſit ab eis incuſſus ad extorquendam illam promiſſionem.

Hinc à fortiori tenebit Contractus, nec reſcindi poterit, ſi ſit initus ob metum à cauſâ naturali incuſſum, ut ſi quis in morbo, in periculo naufragii &c. promittat centum aureos ei qui ſe eripuerit.

Quòd ſi metus injuſtè incuſſus ob aliam cauſam,

v. g. in vindictam, alium compellat ad ultrò aliquid promittendum, reſcindi poterit promiſſio: ut ſi Fornicator à fratre, vel amicis puellæ occidendus, præcisè in vindictam criminis, ultrò promittat Matrimonium, vel pecuniam puellæ ad evadendum: quia nempe ex injuſto metu cõpulſus eſt ad quærendum hîc & nunc aliquod medium in genere pro conſervandâ vitâ. v. Sanchez L. 4. de Matrim. Diſp. 12. n. 20. &c.

Col. Contractum ex metu levi initum multò magis eſſe in ſe validum, & in Iure Civili non datur actio ad ejus Reſciſſionem: ut patet ex L. 5. 6. 7. ff. Quod metûs cauſa. Sunt tamen qui putant in foro conſcientiæ etiam reſcindi poſſe, ſaltem quandò metus incuſſus eſt à parte contrahente, quia etiam interceſſit injuria minuens voluntarium. Mol. Sanchez Leſſ. &c. Quod tamen locum non habet in Matrimonio, Voto &c. de quibus alibi.

R. 2. ſi metus à nemine ſit incuſſus, ſed ſpõtè conceptus, aut juſtè incuſſus, tenet Contractus, nec datur actio ad reſcindendum. Eſt communis & certa, tum ex lege *ſi Mulier* 21. ff. quod metûs cauſa. Tum ex praxi Eccleſiæ, quæ ſæpe metu pœnarum compellit ad contrahendum.

Hinc ſi aliquis te deprehenderit in Furto, Homicidio &c. & minetur ſe delaturum ad Iudicem, niſi des hoc vel illud, teneris promiſſo, nec acceptum reddi debet. Quod etiam verum eſt teſte Leſſio. l. 2. c. 17. n. 42. licèt minitans non habuerit animum te deferendi, ſed tantùm terrendi, quia ſaltem cedit juri ſuo id faciendi. Si tamen promiſſum eſſet exorbitans, poſſes arbitrio prudentis exceſſum non ſolvere, vel aliunde te compenſare, ut notat Leſſ. ibid. n. 45.

Q. 3. *An ad valorem Contractûs ſufficiat conſenſus fictus?*

R. Negativè, & dicò univerſaliter, ad valorem cujuſvis Contractûs requiri internum & verum conſenſum, nec ſufficere quod quis exteriùs ad alterum dirigat verba denotantia voluntatem faciendi Contractum, niſi interiùs in illum verè conſentiat. Ita è Iuris-Conſultis Bartol. Baldus. &c. è Theologis Mol. Lugo, & alii multò communiùs contra Vaſq. Turrianum, Baſilium Pontium &c.

Prob. ex definitione Pacti, quâ dicitur eſſe duorum, aut plurium in idem placitum conſenſus. Conſenſus autem fictus non eſt magis conſenſus, quàm homo fictus eſt homo.

Nec dicas per ly *Conſenſus* ibi intelligi conſenſum externum humano modo ad alium directum abſtrahendo à conſenſu interno, qui ab hominibus cognoſci non poteſt: quia ejuſmodi conſenſus fictus, quantumvis per ſigna externa exprimatur ut verus, non eſt verè conſenſus, ſed merum ejus ſimulacrum. Et verò id admittunt Adverſarii in Contractu Matrimonii, quem fatentur fictè initum non eſſe validum.

Dices: eo ipſo quo exteriùs practicè ſignificas, te mihi rem hanc vendere, vel eam mihi exteriùs promittis, ſuppoſitâ meâ acceptatione, obligaris tàm in foro interno, quàm externo ad illam mihi tradendam: ergo &c.

R. Negando conſequentiam. Nam qui ſic fictè vendidit, aut promiſit non obligatur vi validæ Venditionis, aut Promiſſionis, ſed aliunde. Et in foro quidem externo obligatur, quia quamdiù de contrario non conſtat, præſumitur habuiſſe conſenſum internum, & ideò compelli poteſt & debet ad rem tradendam. In foro autem conſcientiæ obligatur ſolùm mediatè, in quantùm obligatur ad tollendam deceptionem, & ponendum verum conſenſum, ſeu faciendam veram

Venditionem, aut Promiſſionem quæ ante non erat, & vi cujus obligetur immediatè.

§. III.

De Materia Contractuum.

Q. 1. *An Contractus de re turpi ſit validus?*

Contractus de re turpi dicitur, qui eſt de aliquo opere illicito, ut ſi certò pretio convenias cum Sicario ut inimicum tuum occidat, cum Iudice ut ferat injuſtam ſententiam &c.

R. 1. Si res turpis, de quâ conventum eſt, necdum ſit impleta, Contractus de eâ non eſt ſimpliciter validus, ſed reſcindi debet; nam aliàs obligaret ad patrandum opus illicitum, quod eſt abſurdum. Qui tamen accepit pretium & retinet cum animo implendi opus, quamdiu Contractus non eſt reſciſſus, non peccat contra juſtitiam, cùm illud non retineat invito Domino, ſed solùm contra virtutem, cui opponitur opus patrandum.

R. 2. Impleto jam opere, Contractus ſubſiſtit quantum eſt ex jure naturæ, & promittentem obligat ex juſtitiâ ad ſolvendum pretium, & ſi jam ſolutum ſit non eſt reſtituendum. Quia licèt opus malum quâ tale non ſit pretio æſtimabile, eſt tamen quatenus utile vel delectabile uni contrahentium, & laborioſum ac periculoſum alteri: ita Covarr. Vaſq. Leſſ. Amicus &c. Conformiter S. Tho. q. 62. art. 5. ad 2. docenti accepta pro re turpi non eſſe reſtituenda.

R. tamen 3. Contractus de re turpi eſt invalidus Iure Civili, ſive ante, ſive poſt opus impletum, ut patet ex pluribus Legibus: excepto tamen Pacto de mercede Meretricis, quod jura relinquunt in ſuo vigore naturali.

Dices: ſi Contractus de re turpi ſit invalidus Iure Civili; ergo non obligat in foro conſcientiæ, nec tenetur Promiſſor opere impleto pactam mercedem dare, nec poteſt Promiſſarius acceptam retinere, quod eſt contra præcedentem reſponſionem.

R. nego ſequelam, & dico hoc nonobſtante probabilius eſſe ejuſmodi Contractus retinere vim naturalem obligandi in conſcientiâ poſt opus completum. Ratio eſt quia Leges Civiles, quantum fieri poteſt, ita ſunt interpretandæ, ut non derogent obligationi Iuris naturalis.

Poſſunt autem Leges in hâc materiâ ita intelligi, ut Contractibus de re turpi ſolùm denegent actionem in foro externo, ſervatâ eorũ vi, & obligatione naturali. Aliud eſt quando Leges expreſſè ſignificant ſe inducere incapacitatem Proprietatis acquirendæ, ut in Contractibus Simoniacis &c.

Cæterùm juxtà Leſſ. Amic. &c. etiam probabile eſt eum qui nondum ſolvit, etiam opere jam impleto, non teneri in Conſcientiâ ſolvere (ſaltem extrà caſum publicæ Meretricis) & eum qui accepit non teneri reſtituere: quia potuerunt Legiſlatores in pœnam turpis Contractûs, privare Patratorem criminis jure quod alioqui haberet ad mercedem non ſolutam; & alterum jure recuperandi jam ſolutam.

Quare, licèt communiùs illæ Leges ſolùm intelligantur de foro externo, hoc tamen certum non eſt. Unde in praxi Confeſſarius non facilè debet obligare ad reſtitutionem eum, qui eſt in poſſeſſione.

Q. 2. *An Contractus de opere antecedenter debito, ſit validus?*

R. Non eſſe validum, ſi ſit de opere antecedenter debito ex Iuſtitiâ. Hinc.

Si quidpiam promittas Iudici ut ferat juſtam ſententiam, Contractus eſt nullus, quia ad id Iudex obligatur ex Iuſtitiâ. Unde ſi quid eo titulo à te acceperit, tenetur ad Reſtitutionem: ſecùs, ſi quid ei promiſeris, aut dederis, ut tantò citiùs rem tuam expediat.

Si verò Contractus ſit de opere debito ſolùm ex Charitate aut Gratitudine &c. Probabilius videtur Contractum eſſe validum. Ita Mol. & alii, contra Vaſq. Amic. &c. quia per talem Contractum acquiritur verum ac ſtrictum Ius pariens obligationem reſtitutionis, quod antè non habebatur: hoc autem eſt pretio æſtimabile & materia veri Contractûs.

§. IV.

De Iis qui possunt, aut non possunt valide contrahere.

Q. 1. *Quinam poſſint validè contrahere?*

R. Generaliter, ómnes & ſoli poſſunt validè contrahere, qui liberam habent rei adminiſtrationem, aut facultatem legitimam ab eo ad quem pertinet talis adminiſtratio, Hinc

Præter Infantes, perpetuò Amentes &c. contrahere non poſſunt, Prodigi Curatorem habentes, Uxor ſine conſenſu Mariti: Religioſus ſine conſenſu Superioris, & ſimiles.

Quæſtio igitur eſt præcipuè de Filiis-familias, de Pupillis, & Minoribus, de quibus dicenda ſequentia.

1. Filius-familias ſi impubes ſit, etiam pubertati proximus, ex nullo contractu, etiâm de Pa-

tris conſenſu inito, Civiliter obligatur. Quod etiam verum eſt de Bonis Caſtrenſibus, aut quaſi-Caſtrenſibus. An obligetur naturaliter, dicemus infra.

Si ſit pubes, obligatur Civiliter ex Contractu de ſuis bonis, licèt Patre inconſulto contraxerit. Si tamen contraxerit in præjudicium Patris; ut ſi alienaverit Bona Profectitia, vel Adventitia quorum Uſus fructus eſt penes Patrem, Contractus eſt invalidus. Ita Juriſconſulti ex variis Legibus.

Porrò cenſetur *impubes* maſculus quidem uſque ad annum 14. completum. fœmina verò uſque ad 12.

2. Pupillus pubertati proximus (hoc eſt qui excedit annum decimum cum medio, ſi ſit maſculus, vel nonum cum medio, ſi fœmina) ſi cum Tutoris authoritate contraxerit, obligatur Naturaliter & Civiliter; & idem eſt de Minore cum authoritate Curatoris contrahente. Si autem Pupillus ſit proximus infantiæ (hoc eſt prædictum annum non excedens) non obligatur, ſaltem Civiliter, quia non præſumitur habere ſufficientem intellectum.

Limita reſponſionem quo ad Bona quæ ipſi Tutores aut Curatores per ſe alienare poſſunt, ut ſunt Mobilia non pretioſa: nam Immobilia, aut etiam Mobilia pretioſa, alienari nequeunt, niſi accedente Iudicis decreto, & probatâ cauſâ.

Nota *Pupillum* dici eum, qui cùm impubes eſt, deſiit eſſe in poteſtate Patris, aut hujus morte, aut emancipatione. *Minor* autem dicitur, pubes qui non eſt ſub Patris poteſtate, & annum 25. nondum complevit. Eo autem completo, dicitur *Major*, & eſt ſui juris, ſeu ſuæ ætatis. Pupillo propriè datur Tutor; Minori, Curator; licèt hæc nomina ſæpe confundantur.

3. Pupillus pubertati proximus contrahens abſq;

Tutoris conſenſu; item Minor habens Curatorem, contrahens ſine ejus authoritate, validè contrahunt in ſuum commodum, non autem in ſuum incommodum; unde ipſi non obligantur, ſaltèm Civiliter, licèt alios obligent. Si tamen Major Contractum ex ſuâ parte impleverit, tenetur Minor, quantùm factus eſt locupletior. Quòd ſi rem ita conſumpſit, aut amiſit, ut in nullo factus ſit ditior, non tenetur Civiliter, niſi de Dolo, id eſt, niſi ipſius dolo res perierit.

4. Minor Curatorem non habens, ex omni Contractu Naturaliter & Civiliter obligatur: ſi tamen læſus ſit, competit ei Reſtitutio in integrum.

Si quæras cur Pupillus contrahens cum authoritate Tutoris magis obligetur quàm Filius impubes contrahens cum authoritate Patris? hæc adfertur ratio, quòd Pupillus læſus ex Contractu actionem habeat contra Tutorem, non autem filius contra Patrem.

Q. 2. *An Pupillus, & Minor contrahentes propriâ authoritate, obligentur Naturaliter?*

Negant Covarr. & alii multi tum Iuriſconſulti, tum Theol. Affirmant plures, quos citat & ſequitur Sanchez L. 6. de Matrim. diſp. 38 n. 21. quibus accedunt è recentioribus Leſſ. Malder. Rebell. Layman. Tanner. Filiuc. &c. ex quo patet rem eſſe utrimque probabilem.

Nota cum Layman & aliis, duplicem hic diſtingui poſſe Naturalem Obligationem, unam Perfectam, alteram Imperfectam.

Perfecta eſt quæ parit omnes effectus qui conſequi ſolent naturalem obligationem, qui ſunt 1. Ligare in conſcientiâ. 2. Dare alteri jus accipiendi & retinendi. 3. Dare jus Compenſationis. 4. Impedire ſoluti repetitionem tam in foro externo, quàm conſcientiæ.

Imperfecta eſt, quæ non parit omnes iſtos ef-

fectus, ſed aliquos tantùm; nempe primum & ſecundum, qui ab obligatione naturali ſunt inſeparabiles. Hoc poſito.

R Obligari aliquo modo naturaliter: quia non deeſt illis judicium ſufficiens ut poſſint ſe naturaliter obligare; & aliunde non conſtat quòd Ius Civile irritet abſolutè eorum Contractus; imò quibuſdam expreſſis juribus poſitivè dicuntur obligari naturaliter.

Dixi *aliquo modo*:quia hæc obligatio non eſt omninò perfecta, cùm ex ejuſmodi Contractu ſolùm ſequantur duo priores effectus obligationis naturalis, & quidem tam debiles, ut Iudicis, imò probabiliter ſolâ Tutoris authoritate, ita tolli poſſint, ut nec in Pupillo ullum remaneat vinculum in conſcientiâ, nec in altero ullum jus accipiendi aut retinendi rem Pupilli. Atque ex his facilè conciliari poſſunt Authores, & jura quæ inter ſe pugnare videntur.

Quod autem hîc dicimus de Pupillo & Minore, dicendum eſt etiam de Filio-familias.

Coll. quod rectè monet Mol. & poſt illum Tanner. ob magnam probabilitatem utriuſque ſententiæ,non facilè à Confeſſariis injungendam eſſe reſtitutionem in foro conſcientiæ iis, qui cum Minore vel Pupillo pubertati proximo luſerunt, aut alium Contractum juſtum, præſertim Onerosum inierunt, priuſquam Iudicis, aut ſaltèm Tutoris authoritate fiat repetitio, nec viciſſim Pupillum facilè obligandum eſſe ad ſolutionem &c.

Q. 3. *An Contractus per ſe invalidi confirmentur juramento?*

Iuramento ſcilicet promiſſorio, quo quis Deo in teſtem vocato, jurat ſe impleturum, vel non revocaturum Contractum factum cum altero.

R. 1. Contractus jure naturæ invalidus non confirmatur ejuſmodi juramento,quia juramentum non

immutat naturam Contractûs, cùm ſit illo poſterius. Si tamen juramentum ſit de re licitâ, per ſe loquendo ſervandus eſt Contractus ex obligatione Religionis. Unde

Si quis juraverit ſe ſoluturum Uſuras, Promiſſio ſolvendi Uſuras, quam includit Contractus Uſurarius, de ſe jure naturæ invalida, eo quidem juramento non firmabitur ſic, ut vi illius Uſurarius acquirat jus Uſuras recipiendi ac retinendi. Promiſſor tamen tenebitur ſolvere ob reverentiam juramenti, & ex ſolâ obligatione Religionis. Unde ſolutas poterit repetere. Capitulo *Debitores* De Iurejurando.

Quòd ſi inſuper juraverit ſe non repetiturum, poteſt obtinere diſpenſationem juramenti ab Epiſcopo, aut alio habente poteſtatem, quæ facilè concedi debet, cùm non ſit in præjudicium tertii, quandoquidem alter nullum ad id jus acquiſierit.

R. 2. Contractus de ſe validus, ſed infirmus & reſcindibilis ſolo jure poſitivo, firmatur juramento. Quia talis Contractus ſecluſo jure poſitivo erat validus, & irrevocabilis, ut ſupponitur; Iuramentum autem excludit Beneficium juris poſitivi ex Authenticâ *Sacramenta Puberum* Cod. *Si adverſus Venditionem.* Ubi dicitur Sacramenta (id eſt juramenta) Puberum ſponte facta ſuper Contractibus rerum ſuarum non retractandis, inviolabiliter ſerventur.

Nota ly *Puberum*: ex quo colligitur juramenta Impuberum, ſed pubertati proximorum probabiliter non confirmare eorum Contractus.

Quòd ſi Contractus ſit reſcindibilis non ſolo jure poſitivo, ſed jure naturæ, non firmatur juramento; quia tunc reſcindibilitas oritur ex ipsâ naturâ Contractûs, quam juramentum ſubſequens non immutat.

℟. 3, Probabilius eſt Contractum ſolo jure po-

ſitivo irritum, etiam firmari juramento, ſaltem quando irritatio fit præciſè in favorem Contrahentis.

Quod addo ad excludendum Matrimonium Clandeſtinum, & alios Contractus, qui irritantur in favorem Publicum. In his enim juramentum nec obligationem juſtitiæ, nec Religionis inducit; eo quòd in eorum executione eluceat turpitudo. Hanc reſolutionem ſic limitatam tenent Mol. Sa. Lugo, Sanchez, aliique plurimi contra paucos.

CAPUT VII.

De Promiſſione & Donatione.

Q. 1. *An Promiſſio vel Donatio merè interna homini facta obliget?*

Dicitur *homini facta*; quia facta Deo qui corda intuetur, certum eſt quòd obliget.

℟. Non obligare nec jure poſitivo, quod certum videtur, nec jure naturæ. S. Tho. q. 88. art. 1. & alii communiter contra quoſdam quibus favet Molina Diſp. 266. & quorum ſententiam Leſſ. dicit eſſe probabilem l. 2. c. 18. n. 29.

Prob. Quia neque obligat per modum Pacti, cùm omnis Contractus, ſeu Pactum ex quo inter homines ſequi poſſit Obligatio, debeat eſſe ſignum practicum manifeſtativum voluntatis ſe obligandi, & directum ad alterum humano modo, quale non eſt Promiſſio aut Donatio merè interna. Neque obligat per modum veracitatis aut fidelitatis, quæ ſimiliter requirunt ut verba ad alterum diri-

gantur humano modo. Hinc, non videtur etiam eſſe obligatio, ſi quis ſolitariè loquatur & exteriùs apud ſe dicat: Promitto, vel Do Ioanni 100; quia neque hujuſmodi Promiſſio habet rationem ſigni practici humano modo ad alterum directi: Talis autem Promiſſio, ſupra ſimplex propoſitum addit voluntatem ſe obligandi, non tamen adæquatè obligatoriam, ſed tantùm inadequatè & inchoativè; cùm inſuper requiratur, ùt voluntas illa ſit exteriùs expreſſa, & humano modo ad alterum directa. Ita etiam voluntas obligandi in Legiſlatore non eſt completè obligatoria abſque intimatione.

Q. 2. *An Promiſſio merè interna ſaltem obliget accedente juramento?*

R. Non obligare ex juſtitiâ; ſed vi juramenti tenetur Promittens ex Religione in Deum exequi Promiſſionem internam, licèt nondum de ſe completè obligatoriam, ſed tantùm inchoatè. Imò ſi quis votum, adeoque promiſſionem de ſe completè obligatoriam Deo faciat in favorem tertii v. g. Votum dandi pauperi eleëmoſynam, tantùm ex eo oritur obligatio Religionis erga Deum, non verò Iuſtitię erga pauperem, donec illa Promiſſio exteriùs exprimatur, & acceptetur.

Q. 3. *An Promiſſio vel Donatio externâ jure naturæ obliget ante Acceptationem?*

Suppo 1. Promiſſionem externam, ſaltem acceptatam, factam cum intentione ſe obligandi ex juſtitiâ, obligare ſub mortali, ſi ſit de re gravi; niſi Promittens expreſsè intenderit non ſe obligare graviter, quamvis in re gravi, quod eum facere poſſe, probabile eſt. Promiſſionem verò factam cum intentione ſolùm ſe obligandi ex Fidelitate, de ſe tantùm obligare ſub veniali, quamvis ſit in re gravi.

Porrò cenſetur communiter eſſe obligatio juſti-

tiæ, & ſub mortali, quando Promiſſio fit adhibitâ ſcripturâ publicâ, aut chirographo, aut Teſtibus &c. Aliàs ſæpe cenſenda eſt ſolùm obligatio ex Fidelitate & Honeſtate morali, aut eſſe ſimplex aſſertio aut propoſitum. Quæ omnia pendent à circumſtantiis.

Suppono 2. Ut quid cenſeatur materia gravis in caſu Promiſſionis Gratuitæ, multo plus requiri quàm in Furto, vel Debito ex Contractu Oneroſo; quia in communi hominum æſtimatione non tanti fit injuria orta ex violatione Promiſſionis Gatuitę, quàm ex Furto, vel non ſolutione alterius Debiti. Hinc Sanchez l. 1. de Matrim. Diſp 5. n. 24. tenet hîc requiri quadruplo plus quàm in Furto. Lugo dicit id pendere ab intentione promittentis.

Suppono 3. Promiſſionem vel Donationem externam ante acceptationem non obligare jure Civili (ſaltem regulariter) nec jure Canonico, quod nihil in contrarium ſtatuit. Dixi *ſaltem regulariter*, ob varias exceptiones quas vide apud Leſſ. His poſitis.

R. Probabilius videtur Promiſſionem vel Donationem externam, etiam jure naturæ non obligare ante acceptationem. Sot. Vaſq. Turrianus. Leſſ. &c. contra Covarr. Mol. &c. Quia ut alicui jus novum acquiratur vi Contractûs, haberi debet duorum conventio & conſenſus, ex definitione Pacti ſupra: ergo ut Promiſſio vel Donatio obliget, requiritur acceptatio: quæ eſt conſenſus in id quod Donator vult.

Coll. Si quis ante acceptationem revocet Promiſſionem, aut Donationem, eam poſtea invalidè acceptari. Undè ulteriùs ſequitur, ſi per Epiſtolam, vel Nuncium aliquid promittas, vel donandum tradas, poſſe te conſenſum ante acceptationem revocare; & ſi revoces, idque Nuntio ante

executionem innoteſcat, quamvis poſtea acceptetur, nihil fit, imò etſi non innoteſcat, modo is, quem miſiſti, habeat ſe purè per modum Nuntii tantùm referentis Donationem factam aut rem donatam tradentis. Nam ſi habeat mandatum Donationem faciendi, & procedat bonâ fide, etiam poſt tuam revocationem dat Promiſſario, aut Donatorio acceptanti verum jus; tenerisque habere Ratum quod fecit.

Quando & quomodo facienda ſit acceptatio, item quibus caſibus Promiſſio & Donatio (nempè inter Vivos) ſit revocabilis, vide apud Juriſtas.

Q. 4. *Quinam donare poſſint? an Minor, an Filius-familias, an Vxor &c.?*

Suppono generaliter illos omnes, & ſolos donare poſſe, qui habent liberam rei ſuæ adminiſtrationem cum poteſtate alienandi; vel ſaltem facultatem expreſſam aut tacitam ab eo, cui competit talis adminiſtratio. Undè quæſtio præcipuè eſt de Minoribus, Filiis-familias; Uxoribus &c. Pendetque ab iis quæ dicta ſunt ſuprà Cap. præcedenti. §. 4.

R. 1. Minores, ſaltem puberes, & alii ſimiles habentes quorumdam Bonorum Dominium directum & utile ſine eorũ adminiſtratione, rarò peccant mortaliter faciẽdo de his immoderatas Donationes contrà ſuorum Curatorum voluntatem: quia etſi Donationes iſtæ non ſint omninò validæ, dant tamen quod ſuum eſt, & nulli faciunt injuriam. Unde qui talia ab illis accipiunt non ſunt à Confeſſariis obligandi ad reſtitutionem, donec Curatores ea repetant. Faciliùs peccant Filii-familias donantes etiam de ſuis Adventiis, quia Pater eorum habet Uſum-fructum, cui proindè faciunt injuriam. Donatio de Profectitiis eſt omninò invalida.

R. 2. Filius-familias Minor &c. exiſtẽs in Aulâ, vel

ſtudiis, ex præſumpto Patris aut Curatoris cõſenſu, poteſt eleëmoſinas, aut alias moderatas Donationes facere. Item aliquas leves impenſas ad aliquas honeſtas animi Recreationes, ſecundùm ſuum ſtatum, aut honeſtam conſuetudinem cæterorum ejuſdem conditionis. Quod cum proportione de aliis Superiorem, aut Adminiſtratorem habentibus &c. intelligendum eſt.

Poteſt item Filius-familias Donationes facere quantas voluerit de Bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus. Non poteſt tamen ea quæ Parens de ſuo tradit ad ipſius ſuſtentationem in ſtudiis, aut ad libros emendos, &c. donare aut in res alias inſumere, niſi fortè Parens certam ei ſummam definiat in alimenta, & Filius ſibi ipſi parcens inde aliquid detrahat quod in alios uſus impendat. Et idem dicendum de Religioſis extrà Monaſterium degentibus.

Item ſi Filius-familias eam pecuniam quam ex præſumptâ Patris voluntate ad honeſtas recreationes expendere poteſt, in uſus turpes conſumat, non cenſetur peccare contrà Iuſtitiam, neque vel ipſe vel alius ab eo accipiens obligandus eſt ad Reſtitutionem, eo quòd tunc Parens non ſit invitus quoad rem inſumptam, ſed quoad conſumendi modum.

R. 3. Poteſt Uxor Donationes facere quantas voluerit de ſuis bonis Paraphernalibus, & iis quæ ſuâ induſtriâ, & operis extraordinariis ſibi comparat; quia eorum Proprietatem habet & liberam adminiſtrationem.

Item poteſt etiam invito Marito, de Bonis communibus, Fructibus bonorum Dotalium, & ſimilibus, moderatas Donationes facere, præſertim remuneratorias. Itemque Eleëmoſinas juxtà conſuetudinem fœminarum ejuſdem conditionis quia conſuetudo hoc illi jus tribuit, quo privari

non

non poteſt à Marito, præſertim cum id aliquo modo faciat ad decentem Uxoris ſuſtentationem.

Quòd ſi abſque Mariti conſenſu expreſſo vel tacito de bonis communibus &c. largitiones extraordinarias ſine causâ faciat, peccat pro ratione exceſſûs, adeòque mortaliter, ſi omnibus ſpectatis, exceſſus ſit notabilis, tenetur que de propriis compenſare, ſi aliquorum habeat liberam adminiſtrationem, vel certè hæc in ſuam partem referre in partitione cum Mariti Hæredibus.

Dixi *ſine causâ*; quia ob juſtam cauſam v. g. ad ſublevandam gravem inopiam Patris aut Matris, aut liberorum ex alio conjugio, ſecundùm ſtatum ſuum miserè viventium, poteſt de Bonis communibus largitiones majores facere, modò id faciat ſinè æquali, aut valde gravi incommodo Mariti vel familiæ. Sed tamen etiam tunc debet ex communiori ſententiâ has donationes computare in partem ſuam, dum fiet Bonorum diviſio. Id extendunt Navarra & Sanchez etiam ad Fratres Uxoris.

Quòd ſi Maritus advertens Uxorem parentibus eas largitiones facere, non prohibeat, cenſetur permittere; ideóque non tenetur Uxor eo caſu ad reſtitutionem.

Nota Marito multò majorem facultatem competere ad Donationes etiam ſuperfluas ex Bonis communibus, quàm Uxori, quia cum ſit caput familiæ, & Bonorum communium adminiſtrator meritò ei plus conceditur. Si tamen crebris ejuſmodi Largitionibus aut Compotationibus &c. rem familiarem diſſipet cum apertâ Uxoris injuriâ, obligatur ad reſtitutionem, poteſtque Uxor, ſecluſo ſcandalo, occultâ compenſatione ſibi ac liberis proſpicere. Secùs ſi Maritus ludo perdat; tunc enim quia potuit lucrari, ordinariè damnum cenſetur commune.

De Donationibus factis inter Conjuges, item inter Parentes & liberos, conſulendæ ſunt Locorum conſuetudines, quæ Iuri communi ſæpè derogant.

Q. 5. *An peccet Mater quæ ex Bonis communibus inſcio, aut invito Marito, mittit filio in bello aut ſtudiis verſanti, ſupra id quod aſſignat Pater?*

R. Si Pater ſuppeditet quæ ad ejus honeſtam ſuſtentationem juxta ſuum ſtatum ſufficiunt, peccat Mater, tùm contra juſtitiã diſponendo contra jus de Bonis communibus, tùm contra charitatem, præbendo filio occaſionem diſſolutionis; quomodo etiam peccare poteſt Pater. Si tamen Mater non excedat notabiliter Patris deſignationem, non peccabit contra juſtitiam, quia ejuſmodi moderatas donationes æque poteſt facere filio, ac extraneis. Poteſt etiam ipſa ſupplere ſi Pater non mittat neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem. Peccabit tamen ſi filium contra juſtam Patris voluntatem foris habitantem, alat: quia ad Patrem pertinet ſtatuere ubi filius degat.

Q. 6. *Quantùm validè donari poſſit?*

Nota Donationem aliam eſſe inter vivos, aliam mortis causâ; Donatio inter vivos eſt, quâ quis rem ſic donat, ut ſe vivo fiat Donatarii abſolutè & irrevocabiliter. Donatio mortis causâ, eſt quâ res ſic donatur, ut demùm poſt mortem Donantis abſolutè & irrevocabiliter fiat Donatarii.

R. 1. Donatio inter Vivos omnium Bonorum ſuorum tam præſentium quàm futurorum, eſt invalida Jure Communi: Ratio eſt, quia qui ita donat, privat ſe libertate teſtandi, quod Leges improbant.

Valebit tamen 1. Si tantùm des præſentia.

2. Si Uſum-fructum reſerves; niſi hic eſſet valde exiguus, & vix æſtimabilis.

3. Si des ad pias cauſas, talis enim Donatio

eſt conformis Chriſti conſilio : *Vade , vende omnia quæ habes . & da Pauperibus &c.*

Poteſt etiam quis omnia ſua donare mortis cauſâ , quia hæc donatio non adimit poteſtatem teſtandi , cùm poſſit Donator, eâ non obſtante , alium hæredem conſtituere.

R. 2. Iure Communi donari non poteſt ultra 500. ſolidos (id eſt circiter bis mille florenos) niſi Iudici inſinuetur, ut in Acta publica referatur, Donatio tamen iſta tantùm eſt invalida quoad exceſſum. Imò exceſſus retineri poteſt dum repetatur Mol. Leſſ. Malder. &c. Porrò nomine donationis venit remiſſio debiti liquidi, non autem jura incerta , ſeu ſperata & nondum obtenta v. g. futuræ hæreditatis &c.

Nota Reſponſionem eſſe intelligendam de Donatione factâ ſimul & ſemel , ac velut unico animi impetu ; ſive eidem Perſonæ ſive pluribus. Quare ſi diverſis temporibus , & animi motibus etiam eidem facta fuerit , valebit etiam quoad exceſſum. Atque hæc de Iure Communi. Iure autem Belgico ſtatutum eſt edicto perpetuo anni 1611. ut omnis Donatio , aut alius Contractus vel ultima voluntas de re excedente valorem 300. librarum Arteſianarum (id eſt florenorum) ſcripto facienda ſit , ſive ſub Contrahentium ſignaturâ , ſive coram Notario & Teſtibus, vel aliis perſonis publicis , pro qualitate diſpoſitionis , aliàs non valitura. Zippeus tamen l. 2. de Iure novo Pontificio , tit. de Foro competenti n. 9. putat Donationes aliter factas per hoc præcisè non annullari, ſed tantùm eſſe annullandas , ideoque quàmdiu id non fit , exceſſum retineri poſſe.

CAPUT VIII.

De Depoſito & Commodato.

Q. 1. *Quid Depoſitum? quid Sequeſtrum?*

R, *Depoſitum* eſt Contractus gratuitus quo res alicui cuſtodienda traditur.

Dicitur 1. *Contractus Gratuitus*, quia ſi non ſit gratuitus, ſed accipiatur merces pro cuſtodiâ, non eſt Depoſitum, ſed Locatio & Conductio.

Dicitur 2. *Quo res cuſtodienda &c*; quia per hoc differt à cæteris Contractibus, quòd Depoſitum præcisè detur ad cuſtodiam: unde nec in illo transfertur Dominium ut in Mutuo; nec uſus conceditur, ut in Commodato, neque traditur ad ſecuritatem alterius Contractûs, ut in Pignore.

Sequeſtrum (quod eſt ſpecies Depoſiti) eſt Contractus quo res alicui tertio cuſtodienda traditur, dum alii de eâ litigant, quouſque conſtet, aut decernatur ad quem pertineat. Is apud quem deponitur, dicitur Sequeſter. Alia autem eſt Sequeſtratio voluntaria, & ex partium conſenſu; alia quæ fit à Iudice.

Q. 2. *Quæ ſint Obligationes Depoſitarii?*

R. Depoſitarius tenetur ad rei cuſtodiam; & ſi res pereat tenetur de Dolo, & Culpâ craſsâ, non autem de levi, vel leviſſimâ. Quia Depoſitum ordinariè fit in gratiam ſolius Deponentis. Si tamen Depoſitum cedat in utriuſque utilitatem, ut ſi Depoſitarius accipiat mercedem pro cuſtodiâ, tenetur etiam de culpâ levi. Imò Nautæ, Aurigæ, Caupones, Stabularii, quorum curæ res aliqua commiſſa eſt, tenentur etiam de leviſſimâ. Quamvis multi putent non teneri de culpâ leviſſimâ ante ſententiam Iudicis. Quòd ſi Depoſitio

facta ſit in commodum ſolius Depoſitarii, is etiam tenetur de culpâ leviſſimâ.

Nota triplicem hîc diſtingui Culpam nempe craſſam ſeu latam, levem, & leviſſimam.

Culpa craſſa eſt omiſſio diligentiæ, quam homines ejuſdem ætatis, conditionis &c. adhibere ſolent, ut ſi quis librum commodatum relinquat in publico.

Culpa levis eſt omiſſio diligentiæ quam diligentiores ac prudentiores illius Conditionis ſeu Profeſſionis adhibere ſolent: ut ſi librum quidem repoſuit in cubiculo, ſed oſtio aperto.

Culpa leviſſima eſt omiſſio diligentiæ quam non niſi diligentiſſimi, & prudentiſſimi adhibere ſolent, ut (juxta Navarrum) ſi librum in cubiculo poſuit & cubiculum clauſit, ſed non tentaverit manu an eſſet benè clauſum; ſaltèm (ut limitat Mol.) ſi aliquando expertus eſt clavem aut ſeram fallere.

Q. 3. *An Depoſitarius uti poſſit re Depoſitâ ſine Deponentis conſenſu?*

R. Non poſſe ſine expreſſo, aut ſaltem tacito. Si tamen Depoſitum ſit res uſu conſumptibilis ut triticum, vinum &c. item pecunia, modò hæc detur numerata, non autem clauſa vel obſignata, & Depoſitarius certus ſit ſe, cùm Dominus repetiverit, tantumdem, & ejuſdem generis & bonitatis in promptu habiturum, non erit peccatum, ſaltem mortale, re depoſitâ uti. Mol. Leſſ. &c. Eo ipſo autem quo Depoſitarius incipit uti re conſumptibili depoſitâ, jam incipit habere rationem mutui, ideoque periculum rei jam ad illum ſpectat. Idem dicit cum aliis Layman de Depoſitariis & Theſaurariis publicis.

Q. 4. *Cui reddi debeat Depoſitum quod Depoſitarius cuſtodiendum accepit à fure?*

R. Reddi debere furi, niſi Dominus ante, vel

ſimul cum fure compareat. Si tamen Depoſitarius certò ſciat furem non redditurum Domino, tenetur in conſcientiâ Domino reddere, niſi inde damnum vel periculum ſibi à fure immineat. Ita Layman &c.

Q. 5. *An Religioſus poſſit aliquod Depoſitum admittere?*

R. Non poſſe abſque expreſsâ, aut tacitâ Superioris licentiâ. Quòd ſi, etiam eo conſentiente admiſerit, nec Superior, nec Monaſterium tenebitur de Depoſito, quippe qui non tenetur ex culpâ alicujus Subditi. Mol.

Q. 6. *Quid Commodatum, & quæ ſunt obligationes Commodatarii?*

R. 1. Commodatum pro Contractu, eſt rei alicujus ad ſolum uſum gratuita conceſſio. Differt à mutuo, quòd res commodata non fiat Commodatarii, ut in mutuo, debeatque reſtitui eadem numero, non alia ſimilis. Hinc ſi res commodata caſu pereat, perit Commodanti non Commodatario, cùm è contra res mutuata pereat Mutuatario, non Mutuanti. Quæ uſu conſumuntur, ut pecunia, vinum &c. non dicuntur commodari ſed mutuari.

R. 2. Hæ ſunt obligationes Commodatarii

1. Tenetur non uti re commodatâ, niſi ad uſum conceſſum. Hinc equo ad itinerandum conceſſo, uti non poteſt ad arandum.

2. Si res commodata ſit in commodum ſolius Commodatarii, tenetur de culpâ etiam leviſſimâ: ſi in commodum commodantis, tantùm de Dolo, & culpâ craſsâ: ſi in commodum utriuſque, tenetur de culpâ levi. Caſus fortuitus non præſtatur à Commodatario, Depoſitario &c. (id eſt, non tenetur de caſu fortuito) niſi convenerit, vel ſic fuerit in morâ culpabili, aut caſum fortuitum aliqua ejus culpa præceſſerit, v. g. ſi

monitus viam eſſe infeſtam Prædonibus &c. nihilominùs equo commodato eam ingreſſus ſit, Excipe niſi Commodans conſcius periculi, tamen Equum ad iſtud iter commodaverit.

3. Tenetur ad cibaria, & expenſas modicas circa rem commodatam, non autem ad extraordinarias, v. g. ad curationem Servi vel equi ægrotantis.

4. Tenetur rem commodatam ſuo tempore reſtituere etiam non petenti, nec factam deteriorem niſi quatenus id ex uſu conceſſo, neceſſariò accidit.

Nota Commodantem ſuas etiam habere obligationes.

1. Tenetur ante tempus non repetere, & ſi repetat, tenetur de damno, aut intereſſe, ſi quod ob hanc cauſam commodatario obvenerit. Excipe niſi damnum ſimile ipſi Commodanti inopinatò immineret, tunc enim poteſt repetere etiam cum alterius damno; eo quòd non cenſeatur talem eventum ab initio voluiſſe comprehendere. Mol. Leſſ. Layman contra Navarrum.

2. Tenetur aperire vitium rei commodatæ, ſi quod ſit, ut ſi equus ſit ſternax, ſi vaſa ſint vitioſa, ſi res ſit infecta peſte &c. alias tenetur de damno.

3. Tenetur ad expenſas extraordinarias.

Q. 7. *Cui pereat res commodata quæ perit, dum per tertium ad commodantem remittitur?*

R. Si ille Tertius electus fuit à commodante; res perit Commodanti: ſi autem à Commodatario, diſtinguendum eſt: vel enim adhibuit omnem diligentiam, ut fidelem inveniret, & tunc perit commodanti, vel fuit in culpâ etiam leviſſimâ, & perit commodatario. Sylveſt. Mol. Filiuc. &c.

Q. 8. *An res commodata, depoſita &c. præferenda ſit rei propriæ, ſi utraque ſalvari non poſſit?*

R. 1, Si res propria ſit pretioſior, potes præ eâ rem commodatam, depoſitam, conductam, oppignoratam &c. negligere, neque teneris ad ejus compenſationem, ſaltem ex juſtitiâ, ſi nullâ tuâ culpâ perierit.

R. 2. Si res aliena ſit pretioſior, teneris præ eâ tuam negligere: poteris tamen exigere compenſationem. Quòd ſi prævideas eum nihil tibi ſoluturum, vel ſi jactura rei tuæ futura ſit tibi magno incommodo, non teneris in conſcientiâ alienam præferre. In Foro tamen externo *bona fides abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſalvis exiſtentibus depoſitas amiſiſti.* Capitulo *Bona Fides* de Depoſito.

R. 3. Si res tua ſit æque prætioſa, potes illam præferre alienæ, ſi res alterius apud te erat vel ipſius ſolius cauſâ, vel utriuſque. Si autem in commodum tui ſolius, præferre debes alienam, nec petere potes compenſationem. Hæc ferè Leſſ. poſt Mol. Diſp. 296. paulo aliter Sa. verbo *depoſitum* Sylveſter &c.

CAPUT IX.

De Mutuo & Uſurâ.

Q. 1. *Quid Mutuum pro Contractu, & quæ ex eo oriantur obligationes?*

R. Eſt Donatio rei pondere, numero & menſurâ conſtantis, facta ex animo ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione ut alia ejuſdem naturæ & qualitatis reddatur.

Dicitur 1. *Datio rei*, quia Mutuum traditione rei perficitur.

2. *Pondere numero, &c. conſtantis*: quia Mutuum

verſatur circa res quæ functionem recipiunt, id eſt, quæ tales ſunt ut in quotidianis commutationibus, aut ſolutionibus una pro aliâ indifferenter ſubſtitui, & vice alterius fungi ſoleat, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia &c.

3. *Vt ſtatim fiat accipientis*, quia per Mutuum transfertur Dominium, in quo differt à Commodato.

4. *ejuſdem naturæ & qualitatis*, ideſt ejuſdem ſpeciei & bonitatis, ejuſdem ponderis & numeri &c. in quo differt ab Emptione, & ſimilibus Contractibus. In pecuniæ tamen redditione, niſi fortè aliud expreſſum ſit, non attenditur phyſica natura, ſed conditio moralis, ſeu ejus valor. Quòd ſi in aliis rebus detur una ſpecies, cum onere reddendi aliam, v. g. oleum cum onere reddendi poſtea vinum, vel frumentum, non erit Mutuum; ſed permutatio, ſeu Contractus innominatus, *do ut des.*

Coll. Rem mutuatam, ſi pereat antequam in mutuatoris manus redeat, perire mutuatario, quia ejus Dominium habet.

Obligationes Mutui ſunt 1. mutuans tenetur dare rem non vitioſam, nec ſi tempus reddendi ſit præfixum, poteſt ante illud, per ſe loquendo, repetere licet teneatur ante recipere, ſi Mutuatarius velit. Si nullum tempus ſit præfixum, tenetur ſaltem non repetere ſtatim, ne fruſtra, aut in alterius damnum dediſſe videatur. Quantùm autem temporis expectari debeat quando indeterminatè conceſſum eſt, pro diverſitate circumſtantiarum, ſpectato præſertim fine Contractûs, arbitrio Iudicis, aut viri prudentis æſtimandum eſt.

2. Mutuatarius conſequenter tenetur præfixo tempore rem non vitiatam reddere, vel ſi tempus redditionis præfixum non eſſet, tenetur reddere Mutuatori petenti, modò hic ſine juſtâ causâ non

ſtatim intempeſtivè repetat.

3. Si poſt præfixum tempus, aut rationabilem Mutuatoris repetitionem, Mutuatarius in morâ fuerit, tenetur Mutuanti in utroque Foro de damno ſecuto, & Lucro ceſſante.

4. Tenetur Mutuatarius de omni caſu fortuito. Hinc ſi Mutuum reſtituendum tradat perſonæ quantumvis fideli, illudque pereat, non liberatur niſi perſonam ipſe Mutuator deſignaverit, per quam illud ſibi reddi voluit.

Q. 2. *Quid Vſura & quotuplex ?*

R. Uſura pro re, eſt lucrum ex mutuo, id eſt, aliquid pretio æſtimabile, quod ultra ſortem (id eſt capitale ſive ſummam mutuò datam) recipitur tamquam debitum, præcisè vi Mutui.

Uſura pro Contractu eſt Mutuatio cum Pacto accipiendi tale lucrum.

Uſura pro Contractu, alia eſt realis ſeu externa, alia mentalis ſeu interna.

Realis eſt in quâ Mutuator verbis, ſeu ſigno alio externo declarat Mutuatario voluntatem accipiendi, aliquid ſupra ſortem, ſive id ſignificet clarè & expreſsè dicendo v. g. reddes mihi duodecim pro decem, ſive obſcurè tantùm & implicitè, ut ſi notus Fœnerator dicat; noſti conſuetudinem meam; ſcis pecunias à me datas non redire ſolas &c.

Mentalis eſt cùm Mutuator lucrum nullo ſigno externo deducit in pactum, reipsà tamen aliquid ſupra ſortem recipit, aut recipere intendit tamquam ex juſtitiâ, aut etiam tamquam ex benevolentiâ & gratitudine debitum.

Quod addo ob damnatam ab Innocentio XI. hanc Propoſitionem inter 65, 42^am^. *Vſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentiâ & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex juſtitiâ debitum.*

Rursùs alia eſt Uſura formalis & aperta, quâ apertè exigitur auctarium præcisè ratione mutui; alia Virtualis ſeu Palliata, quâ aliquid exigitur ratione Mutui, non Formalis, ſed Virtualis latentis ſub alio Contractu, & velut ejus pallio tecti.

Q. 3. *An & quo jure Vſura ſit illicita?*

R. 1. Eſt de fide eſſe illicitam ex Concilio Viennenſi, Clementinâ unicâ de Uſuris, ubi decernitur puniendus ut hæreticus, qui pertinaciter contrarium tenuerit.

R. 2. Eſt illicita Jure poſitivo, tum Divino, tum humano, ut habetur in eâdem Clementinâ.

Prob. Quòd Iure Divino: ex Ezechiel. 18. v. 8. & 9. Ubi juſtus eſſe dicitur *qui ad Vſuram non commodaverit, & ampliùs non acceperit.* Et Pſal. 14. v. 5. *qui pecuniam ſuam non dedit ad Vſuram.* Quòd autem etiam Iure humano ſit prohibita, manifeſtum eſt ex Titulo de Uſuris in 5. & 6. Decretalium.

R. 3. Uſura eſt etiam illicita jure naturæ.

Prob. 1. Ex Capitulo *ſuper eo* de Uſuris, ubi dicitur non magis poſſe ſuper Uſurâ diſpenſari, quàm ſuper mendacio.

Prob. 2. Ratione: quia lumine naturæ notum eſt illicitum eſſe, & contra juſtitiam in commutatione, in quâ ſpectanda eſt æqualitas, plus recipere quàm valeat id quod datur: accipere autem aliquid ſupra ſortem, eſt ex terminis accipere aliquid ultra valorem rei mutuò datæ.

Et verò ſolo lumine rationis id agnoverunt Ethnici Philoſophi; & nominatim Ariſtoteles qui 1. Politic. c. 7. Probat Uſuram eſſe contra naturam, eò quòd ex pecuniâ de ſe ſterili, & tantùm inventâ ad commutationes, fructus quæratur, & nummus nummum pariat. Videri etiam poſſunt Seneca l. 7. de Beneficiis c. 7. Cicero l. 2. de Officiis. Plutarchus Opuſc. de vitandâ Uſurâ &c.

Itaque ex illo Deuteron. c. 23. *Non fœnerabis Fratri tuo &c. ſed alieno.* Et c. 28. *fœnerabis Gentibus multis.* Non rectè infertur Uſuras ut tales fuiſſe olim Judæis licitas, ſaltem reſpectu alienorum: Quia iſtis locis non ſignificatur permiſſum fuiſſe Iudæis accipere auctarium etiam ab alienis, titulo ſolius mutui, ſed vel deprædationis in hoſtes, vel tranſlati in Iudæos Dominii ex ſupremâ Dei rerum omnium Domini voluntate. Quo etiam titulo olim Iſraëlitis permiſſa eſt Ægypti ſpoliatio.

Circa Uſuram prohibitæ ſunt ab Innocentio XI. hæ Propoſitiones 41. *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numerandâ, & nullus ſit qui non majoris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à Mutuatario exigere, & eo titulo ab Vſurâ excuſari* Et 42. *Vſura nō eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam ex Iuſtitiâ debitum.*

Dices Mutuator non ſolùm tribuit alteri Dominium & uſum rei mutuatæ, ſed etiam ſe obligat ad non repetendum ante certum tempus, v. g. ad annum, quod eſt pretio æſtimabile: ergo ſaltem eo titulo poteſt aliquid accipere ultra ſortem.

R. Nego conſequentiam: quia obligatio illa non repetendi ad certum tempus, eſt mutuo intrinſeca, non quidem mutuo in genere, quod ſolum importat obligationem non repetendi per aliquod tempus indeterminatè, ſed huic vel illi mutuo in particulari: ſicut datio tantæ vel tantæ ſummæ eſt intrinſeca huic vel illi mutuo determinato, licet non ſit intrinſeca mutuo in genere: cùm ergo non liceat aliquid exigere ſupra ſortem præciſè ratione mutui, non licet etiam ratione iſtius obligationis Mutuo intrinſecæ.

Adde obligationem illam adæquatè compenſari ipſa ſortis in perpetuum reſtitutione, ut pluribus probant Scholaſtici.

Confirm. ex hâc Propoſitione 42. damnatâ ab Alex.VII. 1666. *Licitum eſt mutuanti aliquid, ultra ſortem exigere ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.*

Col. Secluſo intereſſe, illicitam eſſe praxim quorumdam Mercatorum aliquid ſupra ſortem exigentium ratione obligationis non repetendi ante certum tempus, v. g. ante Nundinas Francofurtenſes, niſi excuſentur ratione alicujus obligationis extraordinariæ, quæ non ſit Mutuo intrinſeca, v. g. non repetendi, quidquid evenerit.

Q. 4. *An Mutuator poſſit Mutuatario imponere aliquam Obligationem ſupra ſortem?*

R. Non poſſe, ſi agatur de Obligatione, ſeu Onere pretio æſtimabili: Ita S. Thomas q. 68. art. 2. cujus notanda ſunt hæc verba: *ſicut ſi aliquis pro pecuniâ mutuatâ, vel quâcumque aliâ re, quæ ex ipſo uſu conſumitur, pecuniam accipit, ex Pacto tacito vel expreſſo, peccat contra juſtitiam: ita etiam quicumque ex Pacto tacito vel expreſſo, quodcumque aliud acceperit, cujus pretium pecuniâ menſurari poteſt, ſimile peccatum incurrit. Si verò accipiat aliquid hujuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliquâ obligatione tacitâ vel expreſsâ, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere; nec pejoris conditionis efficitur per hoc quòd mutuavit. Recompenſationem verò eorum quæ pecuniâ non menſurantur, licet mutuò exigere, puta benevolentiam & amorem ejus qui mutuavit, vel aliquid hujuſmodi.*

Coll. Mutuatorem non poſſe obligare Mutuatarium, ut filiam ſuam accipiat in Uxorem, ut deinceps ex ſuâ Officinâ merces emat, in ſuo Molendino molat, Agrum ſuum, etiam juſto pretio colat &c. Item ut ſibi vel alteri officium aliquod, aut Beneficium conferat, ut ſibi præſtet aliquod

obſequium, v. g. commendando eum Principi, eum in itinere comitando &c.

Non eſt tamen Uſura, ſi Mutuatarium obliges ut tibi ſolvat quod aliunde debet ex juſtitiâ, ut deſiſtat ab injuſtâ erga te lite, aut aliâ vexatione: & addunt aliqui, ſi ponatur hæc conditio, ut Mutuatarius teneatur ſortem reddere, cùm deſinet Officinam tuam frequentare, Filium tuum erudire, gratitudinis officia præſtare &c. quæ tamen in praxi ſunt valde periculoſa, & Uſuræ palliatæ obnoxia, & ideo omninò vitanda.

Q. 5. *An liceat imponere Mutuatario obligationem ut tibi viciſſim in poſterum remutuet?*

R. Non licere ſub his terminis, quia iſta obligatio remutuandi in futurum, eſt pretio æſtimabilis nec Mutuo intrinſeca.

Poſſum tamen hîc & nunc tibi mutuare vinum, ut mihi viciſſim nunc mutues triticum, dummodò hoc à te exigam non ut pretium mutui, ſed ut reciprocum Beneficium. Ratio eſt quòd hæc reciproca mutuatio non ſit de ſe pretio æſtimabilis; nempe in caſu quò Mutuatarius ex remutuatione nullum patiatur intereſſe; at obligatiò remutuandi in futurum, ſit onus pretio æſtimabile.

Q. 6. *An in Mutuo ſit licita pœna Conventionalis, hoc eſt, an liceat ex Pacto Mutuatarium obligare ad ſolvendum aliquid ſupra ſortem præcisè ex eo quòd ad tempus præfixum non reſtituat?*

R. aff Mol. Malder. Lugo &c.

Prob. 1. ex L. *Si Pactum* Cod. *De Pactis.*

2. Quia eo caſu Mutuatarius differt ſolutionem debiti contra jus Mutuatoris, adeòque dignus eſt pœnâ. Ad hoc tamen requiritur ut mora fuerit culpabilis, & pœna non ſit appoſita ad palliandam Uſuram, ut fit quando apponitur pœna, ut illius prætextu obtineatur lucrum, quod ex Mutuo apertè exigi nequit.

CAPUT X.

De Titulis excuſantibus ab Vſurâ.

ASſignari ſolent hi tres : Damnum emergens, Lucrum ceſſans, & periculum ſortis.

Damnum emergens eſt quod Mutuans patitur ratione dati Mutui, ut ſi pecuniam tuam deſtinâras refectioni ædium, quæ ob hanc cauſam deteriores fiant.

Item ſi ex occaſione dati Mutui debeas ipſe Mutuum accipere ſub Uſurâ &c.

Lucrum ceſſans eſt quod Mutuator fuiſſet conſecuturus per pecuniam quám alteri mutuat, ut ſi Mercator eâ pecuniâ quam dedit Mutuam, lucrum facturus fuiſſet, Merces, Fundos, Cenſus, aut quid ſimile emendo, vel aliter negotiando.

Periculum ſortis eſt v. g. cùm Mutuum petens eſt parùm notus aut dubiæ fidei; item ſi Pauper, incurius, parùm induſtrius &c.

Huc revocari ſolet difficultas & moleſtia in ſorte poſteà recipiendâ, qui omnes tituli ſunt extrinſeci Mutuo ut tali, licèt ſæpe illud comitentur.

Q. 1. *An liceat aliquid exigere ſupra ſortem ratione damni emergentis?*

R. Aff. S. Thomas q. 78. art. 2. ad 1. & alii communiter; quia eo caſu non exigitur aliquid ſupra ſortem præcisè ratione mutui, ſed ratione annexi gravaminis pretio æſtimabilis, quod Mutuator non tenetur ſubire gratis.

Nota tamen, cùm Mutuans vi hujus tituli tantùm habeat jus ſe conſervandi indemnem, relin-

qui debere Mutuatario libertatem, ut vel ipſe ſuſcipiat in ſe reparationem damni quod emerget, vel ſi malit, pro certâ ſummâ conveniat in illius compenſationem.

Q. 2. *An etiam liceat aliquid ultra ſortem exigere ratione lucri ceſſantis?*

Negant Durandus, Scotus, Sotus &c. quibus favere videtur S. Thomas loco paulò ante citato. Ubi docet eum qui dat Mutuum, recompenſationem damni conſiſtentem in hoc quod de pecuniâ non lucratur, non poſſe in pactum deducere, quia inquit, non debet vendere id quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo. Affirmant alii communiter cum quibus.

R. Aff: & hæc eſt praxis communiter recepta, etiam timoratorum.

Prob. Ut ante, quia hoc non eſt accipere ratione Mutui præcisè, ſed ratione damni ex Mutuo ſecuti, quod Mutuans non tenetur gratis ſubire.

Deinde pecunia prout deſtinata negotiationi, & ut ſubeſt induſtriæ mercatoris valentis ex illâ lucrum facere, plus illi valet, quàm ſpectata ſecundùm ſe: ergo &c.

Ad Sanctum Thomam dicendum eſt ipſum agere tantùm de Lucro quod eſt in potentiâ remotâ, in quantùm ſcilicèt qui habet pecuniam, etiam non deſtinatam ad negotiationem, habet remotè commoditatem negotiandi, quâ ſe privat in gratiam Mutuatarii: ſic enim verum eſt nihil eo titulo exigi poſſe; quia nempè (ut rectè Caietanus) talis remota commoditas nihil addit ipſi pecuniæ ſpectatæ ſecundùm ſe; pro quâ proinde aliquid exigere, eſt accipere lucrum præcisè vi Mutui. Dici etiam poteſt Sanctum Doctorem etiam velle, pro lucro quod tantùm eſt in ſpe, non poſſe tantùm exigi, quantùm pro lucro in re. Quod ipſum videtur

detur indicare ratio ipſius ſuprà allata. Et hoc conforme eſt iis quæ habet q. 62. art. 4. ubi docet eum qui abſtulit pecuniam negotiationi deſtinatam teneri ad aliquam compenſationem, non tamen ex æquo lucri ſperati; quia minus eſt, inquit, habere aliquid in virtute, quàm habere actu

Circà hæc obſervanda ſunt ſequentia:

1. Hic maximè cavendam eſſe Uſuram palliatam, & diligenter videndum an mutuum ſit reverà causâ lucri ceſſantis: nam ſi pecuniam habeas in arcâ otioſam, & nulli negotiationi, aut emptioni deſtinatam, vel ſaltèm pro aliquo tempore, v.g. ad annum eàm ita ſervare ſtatueris, non potes eo tempore quidquam pro eâ exigere titulo lucri ceſſantis. Si tamen habeas unam ſummam deſtinatam negotiationi; alteram uſibus futuris, potes de priori mutuum dare, & hoc titulo accipere auctarium.

2. Si quis abſtineat à negotiatione; quia ſcit alterum petiturum Mutuum, videtur probabile ſaltèm ſpeculativè, quód illi mutuando, poſſit aliquid ſupra ſortem exigere; quià privat ſe lucro negotiationis in ejus gratiam: quod nonnulli etiam docent de eo qui pecuniam ſuam non deſtinat negotiationi, quia prævidet in cõfuſo futuros aliquos qui mutuum petant: Verùm hæc, quidquid ſit de probabilitate ſpeculativâ, ſunt in praxi pericu-loſa, & viam aperiunt palliatis Uſuris; vide Malder. tract. 5. c. 3. dub. 13. concl. 4. & 5.

3. Si quis abſtinens à negotiatione, interim ſe applicet alteri rei nec moleſtiori, nec minùs quæſtuoſæ, cui vacare non potuiſſet negotiando; non poteſt mutuando quidquam exigere titulo lucri ceſſantis, quia ut notat Amicus, lucrum quod ei decedit per omiſſionem negotiationis, compenſatur per aliud quod negotiando habere non potuiſſet.

Q. 3. *An periculum Sortis ſit ſufficiens titulus ad*

petendum aliquid ſupra ſortem?

R. Si verè ſubſit periculum extraordinarium, licèt pro eo accipere auctarium; Angelus, Ioan. Medina, Corduba, Petrus de Navarrâ, Bonac. & alii Theologi communiùs. contra Navarrum, Conrad. Sotum, &c. Imò videtur eſſe S. Th. opuſ. 73. *De Vſurâ* c. 10. *de vendentibus carius propter dilatam ſolutionem* ſub medium ubi ait: *ſi Venditor rem ſuam intendat vendere cariùs, non propter tempus tantùm, ſed tantùm propter damnum, quod ſibi videt imminere ex dilatione ſolutionis recuperandæ, ſeu propter vexationem ſuam ridimendam, quam probabiliter timet futuram ſibi in repetitione debiti: propter malitiam vel impotentiam Debitoris, tunc excuſatur à vitio & fit æquitas æſtimationis, in hujuſmodi Contractibus per recompenſationem damni, vel quando probabiliter timentur hæc, in credentia accidere.*

Prob. Quia tale periculum non eſt mutuo intrinſecum, & eſt pretio æſtimabile. ergo quod ratione illius exigitur, non exigitur præcisè ratione mutui, ſed ratione alicujus mutuo per accidens annexi, & quidem pretio æſtimabilis. Quòd autem periculum illud non ſit mutuo intrinſecum, ſatis patet, cùm poſſit ab illo ſeparari, nempe per pignus aut fidejuſſorem datum à Mutuatario, imò quem Mutuator in tali periculo jus habet exigendi. Quòd verò periculum hujuſmodi ſubire ſit pretio æſtimabile, conſtat etiam ex eo quòd juxta omnes, Fidejuſſor illud in ſe ſuſcipiens, licitè poteſt pretium iſti oneri proportionatum exigere, eoque juſtè compenſari. Ergo ſi Mutuator ipſe, vices agens Fidejuſſoris, totum onus ſubeat, poterit quoque licitè aliquid exigere ratione illius oneris in ſe ſuſcepti, quod eſt & mutuo extrinſecum & pretio æſtimabile. Vide Platellium part. 3. N. DCXXV. id validè confirmantem auctoritate

Congregationis de propagandâ & Innocentii X. approbantis ejus reſponſa ad quæſita Miſſionariorum Chinenſium.

Non poteſt tamen Mutuator in hoc caſu Mutuatarium compellere ut de periculo ſecum paciſcatur, aut ſeipſum pro Fidejuſſore accipiat; modò Mutuatarius ejus ſecuritati aliundè proſpiciat, dando Pignus; aut alium Fidejuſſorem idoneum.

Dixi, *ſi verè ſubſit periculum extraordinarium:* quia ſi verè non ſubſit probabile periculum, vel ſit tantùm ordinarium quale reperitur in omni Mutuo, non poteſt quidquam hoc titulo exigi.

Nota cum proportione idem dicendum de extraordinariis difficultatibus & moleſtiis probabiliter ſubeundis in recuperatione ſortis: hæc enim ſunt Mutuo extrinſeca, & pretio æſtimabilia.

CAPUT XI.

Quædam alia ſpectantia ad Uſuram.

Q. 1. *An uſurarius fiat Dominus uſurarum?*

R. Neg. Covarr. Caiet. Mol. Leſſ. & alii multo communiùs, contra Navarrum & alios Canoniſtas, quos ſequitur Lugo, volens eum acquirere Dominium Uſurarum, ſed debile, & cum omnimodâ obligatione reſtituendi. Ratio eſt quia deeſt titulus: nam Mutuatarius non aliter intendit tranſlationem Dominii Uſurarum, quàm titulo Mutui qui nullus eſt, cum vi Mutui nihil debeatur Mutuanti præter ſortem.

Nota tamen 1. Si Uſurarius pecuniam ex Uſuris acceptam permiſcuerit ſuæ, ita ut jam diſcerni non poſſit, per accidens acquiret ejus Dominium

ratione commixtionis, tenebitur tamen ad reſtitutionem in quantum factus eſt ditior.

Nota 2. Res acquiſitas ab Uſurario per pecuniam uſurariam tranſire in ejus Dominium; quia tunc invenitur juſtus titulus, ſcilicèt validæ venditionis. Nec refert quod Uſurarius non fiat Dominus fructuum rei frugiferæ, ſi quam acceperit Uſuræ nomine, ut docet S. Tho. q. 78. art. 2. ad 6. & alii communiſſimè. Diſparitas enim eſt quòd in noſtro caſu res acquiſita, non ſit fructus rei Uſurariæ, ſeu pecuniæ, quæ de ſe ſterilis eſt, ſed induſtriæ negotiantis.

Nota 3. Si Uſurarius rem alienam Uſuræ nomine acceptam vendat, fit etiam Dominus pretii ſibi ab emptore enumerati, modo hìc bonâ fide proceſſerit neſciens rem ita eſſe acceptam: quod addo quia ſi uterque ſciat, rem eſſe alienam, emptio ipſo facto eſt nulla, & uterque tenetur ad reſtitutionem. Excipe niſi Emptio fiat ex tacito ſaltèm & præſumpto Domini conſenſu, ut fit, ſecundum Leſſ. in Emptione Pignorum, quæ elapſo anno ab Uſurariis, ſeu Lombardis publicè divendi ſolent; tunc enim videntur Mutuatarii tacitè conſentire ut ea cedant Uſurario per modum venditionis pro ſorte & Uſuris; nec curare ad quos deinceps deveniant.

Nota 4. Non omnia Bona Uſurarii eſſe tacitè hypothecata ſeu realiter obligata ad Uſurarum reſtitutionem; cùm neque ex rei naturâ, neque ex jure poſitivo habeatur conſtituta talis hypotheca. Hæredes tamen Uſurarii tenentur ad reſtitutionem quantùm ferunt vires hæreditatis quam inierunt: non tamen ad id obligantur Legatarii, ſi ea quæ Hæredibus relicta ſunt, ad reſtitutionem ſufficiant.

Q. 2. *An accepta per Uſuram mentalem ſint reſtituenda?*

R. Cum communi, affirm. ex Capitulo *conſuluit.* de Uſuris. Si tamen is qui animo uſurario accepit, poſtea deprehendat auctarium à Mutuatario gratis datum fuiſſe, poterit illud retinere, licèt acceptando peccaverit. E contrà verò ſi bonâ fide acceptaverit, & poſtea deprehendat datum fuiſſe tamquàm debitum ex juſtitiâ, tenebitur reſtituere, niſi à Mutuatario obtineat, ſine ullâ tamen coactione, ut mutet intentionem, & gratis donet. Si auctarium accipiatur ut datum ex gratitudine, modò non exigatur ut debitum, non eſt Uſura etiam mentalis quamvis hoc lucrum intendatur à Mutuatore.

Q. 3. *Quinam præter uſurarium, & ejus heredes, obligentur ad reſtitutionem, ratione uſurarum.*

R. Etiam obligari omnes cooperantes, qui agentes partes Uſurarii, ſunt cauſa efficax cur Uſuræ petantur, ſolvantur, non repetantur, &c. ut ſunt

1. Qui efficaciter ſuadent cuipiam ut exerceat Uſuras.

2. Iudices qui compellunt ad Uſuras ſolvendas, & vetant ſolutas repeti.

3. Notarius conficiens inſtrumentum vi cujus Mutuatarius cogitur ad ſolutionem Uſurarum: quamvis ſi hic conſentiat, plerumque excuſetur Notarius à reſtitutione, non tamen à peccato, cùm tale inſtrumentum confecerit contra ſuum juramentum.

4. Famuli Uſurariorum qui ejuſmodi Contractus Uſurarios faciunt. Item qui cogunt ad ſolutionem Uſurarum. Sunt tamen qui hos excuſent, quando non ſponte ſuâ, nec aliquo proprio emolumento dant ad Uſuram, aut ipſas Uſuras petunt. Quòd ſi cooperantes non agant partes Uſurarii, ſed ipſius Mutuatarii, aut non concurrant efficaciter ad Uſuram, non incurrunt hanc obligationem.

Hinc paſſim excuſantur famuli Fœneratorum qui pecunias numerant, referunt in librum rationum, pignora cuſtodiunt &c. Proxenetas id eſt, qui quærunt eos qui pecuniâ indigent, adducuntque ad Uſurarios, excuſant Sylveſt., Leſſ. &c. damnant Sotus, Mol. Navarr: &c. quando iſto modo partes agunt Uſurariorum. Multò magis excuſari debent, etiam à peccato, qui mittuntur ad pecuniam petendam, ferendum pignus &c. non audente id per ſe præſtare Mutuatario.

Q. 4. *An Principes & Magiſtratus poſſint permittere publicos uſurarios?*

R. Poſſe, ubi id neceſſarium videretur ad bonum publicum, imò poſſe eos protegere, & Mutuatariis negare in foro externo actionem ad repetendas Uſuras. Vide Navarr. l. 5. Conſiliorum Conſil. 3. de Judæis N. 3. ubi dicit Gregorium XIII, juſtis de cauſis permiſiſſe Iudæis Romæ exigere, 18. in 100. non poſſunt tamen Principes aut Magiſtratus ejuſmodi Uſurarios ita tributis gravare, ut eâ de causâ cogantur majores Uſuras exigere. Neque ipſi poſſunt participare de eorum lucro. Navarr.

Q. 5. *An ſit peccatum petere Mutuum ſub uſurâ?*

R. Non eſſe, ſi fiat ex neceſſitate, aut evidenti utilitate, S. Tho. art. 4. & petens ſolùm directè intendat Mutuum, habendo ſe permiſſivè ad Uſuram: quia cùm Uſurarius poſſit dare Mutuum ſine Uſurâ, ex ejus malitiâ fit quòd det cum Uſurâ, id autem non tenetur Mutuatarius cum ſuo gravi incommodo impedire. Si nulla ſit cauſa, erit mortale, ut communiùs DD. præſertim ſi petatur ab eo qui aliàs paratus non erat dare ad Uſuram: hoc enim eſt dare proximo occaſionem peccandi, quod non licet ſine causâ. Datur tamen hîc parvitas materiæ, nempe ſi adſit aliqua cauſa, ſed non multùm urgens; tunc enim poterit eſſe ſo-

lùm veniale, præſertim ſi petatur ab eo qui ſolet, aut paratus eſt dare.

Q. 6. *Quæ ſint pœnæ uſurariorum?*

Quæſtio procedit non de quibuſvis Uſurariis, ſed de notoriis & manifeſtis, id eſt, qui non poſſunt ullâ tergiverſatione celari, vel ſunt declarati tales per ſententiam Judicis.

R. Partim Iure Civili, partim Canonico has eſſe præcipuas.

1. Sunt infames, adeoque irregulares, & inhabiles ad Officia & Beneficia Eccleſiaſtica.

2. Privantur Sacrâ Communione Altaris, & abſolutione Sacramentali donec reipsà ſatisfecerint, vel cautionem ſufficientem dederint, vel (urgente mortis periculo) niſi præſtent juramentum coram teſtibus de ſatisfaciendo quantùm potuerint.

3. Excluduntur ab oblationibus in Eccleſiâ fieri ſolitis, ſub pœnâ ſuſpenſionis contra admittentes. Poſſunt tamen ab illis accipi Decimæ, & eleëmoſynæ per quas non fiunt impotentes reſtituendi Uſuras.

4. Privantur Eccleſiaſticâ ſepulturâ; ſi in eo peccato deceſſerint, ſub pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrendæ ab iis qui illos ſepelire præſumpſerint.

5. Irritantur eorum Teſtamenta, niſi priùs reipsâ ſatisfecerint, aut cautionem ſufficientem dederint.

Nota pœnas impoſitas recipientibus eorum oblationes, aut eos donantibus Eccleſiaſticâ Sepulturâ, non incurri niſi ſint ſpecialiter denuntiati ut Uſurarii: ita Leſſ. & alii ex extravag. *ad evitanda*, quam vide apud præpoſ. : de Cenſuris. q. 2. n. 107.

CAPUT XII.

De Montibus pietatis.

Q. 1. *Qui ſint Montes pietatis Italici?*

R. Montes pietatis in Italiâ ſic eſſe conſtitutos, ut ſumma Capitalis ex Reip: aut piorum hominum liberalitate conflata ſit, & tantùm aliquid modicum à Mutuatariis exigatur ad plenam illius ſummæ conſervationem, & Miniſtrorum mercedem. Sunt autem conſtituti ſub his conditionibus

1. Tenetur Mons pauperi petenti mutúare intra certam ſummam ad certum tempus, puta ad annum.

2. Debet Mutuatarius dare Pignus cuſtodiendum à Miniſtris Montis, vendendumque ſi præfixo tempore non ſolverit; ſic tamen ut quod pretio reliquum fuerit ipſi reddatur.

3. Debet, præter ſortem in menſes ſingulos aliquid ſolvere pro ſumptibus qui ſunt neceſſarii ad Montis conſervationem.

Q. 2. *Qui ſint Montes Pietatis Belgici?*

R. Paulò aliter erectos eſſe ejuſmodi Montes in Belgio ſub Annum Christi 1619. quippè quorum Capitale non habetur, ſaltèm totaliter ex piâ Fundatione, ſed deſumptum eſt ex pecuniâ ad cenſum acceptâ ſub onere certæ penſionis, cujus ſolvendæ onus ſubeatur à Mutuatariis, ſic ut propterea multò plus ab iis ultra ſortem exigatur, quantum ſcilicèt neceſſarium eſt ad indemnitatem Montis.

Hos Montes authoritate Principum, & Epiſco-

porum approbatione erigi cœptos reprobârunt initio multi tamquàm Uſurarios; ſed rebus poſtea magis examinatis, ab utrâque Belgii Univerſitate Lovanienſi & Duacenſi ſunt approbati. De quibus vide Leſſium in Appendice.

Q. 3. *An Montes Pietatis tum Italici, tum Belgici ſint uſurarii?*

Ratio dubitandi eſt, quod in iis ab indigentibus, quibus dantur pecuniæ mutuæ, aliquid exigatur ſupra ſortem, modicum quidem illud in Montibus Italicis, in Belgicis verò multò plus.

R. Montes Pietatis Italici, tum Belgici ſunt liciti, adeoque non Uſurarii.

Prob. de Italicis 1. ex Bullâ Leonis X. in Concilio Lateranenſi, Seſſ. 10, ubi Sacro approbante Concilio declaratur, & definitur Montes illos nullo pacto improbandos eſſe; pœnâ etiam excommunicationis appoſitâ in eos qui contrarium docere præſumpſerint.

Prob. 2. ratione quia auctarium in illis non datur titulo mutui, ſed ad indemnitatem Montium, & mercedem Miniſtrorum: cum autem erecti ſint in gratiam Mutuatariorum eorumque commodum, æquum eſt ut illi neceſſaria ad eorum conſervationem conferant; quia ut dicitur in prædictâ Bullâ Leonis X. qui ſentit commodum, ſentire debet & incommodum. Ita DD. communiter contra Cajet. qui Montes iſtos ante Concilium Lateranenſe acriter impugnârat, item contra Sotum, & Arragonium, qui eos impugnârunt etiam poſt Concilium. Quorum rationes refutârunt Mol. Leſſ. &c.

Prob. De Belgicis, quia ut dictum eſt, ex Bullâ Leonis X. licitum eſt aliquid exigere ad indemnitatem ejuſmodi Montium qui ad Bonum Publicum; & ſpeciatim ad Mutuatariorum commodum authoritate publicâ ſunt erecti: cum autem Mon-

tes Belgici ſint ita conſtituti ut pecuniam accipere debeant ad cenſum ut indigentibus mutuent, non poſſunt aliter ſe indemnes ſervare, niſi à Mutuatariis plus exigatur, quàm ſi pecuniam ſine ullo onere ex piâ aliqua Fundatione accepiſſent.

Dices: Si Privatus ad eum modum pecuniam ſuam deputaſſet, cenſeretur Uſurarius.

R. Nego aſſ: ſi in illo inveniantur eædem conditiones, quæ in iſtis Montibus. Ita Mol. Leſſ. Rebell &c. quia tamen difficile eſt eaſdem reperiri conditiones; & aliundè periculum eſſet ne in particularibus prætextu pietatis ſenſim irreperent Uſuræ; & inſuper id, ſecluſâ authoritate publicâ, natum eſſet parere ſcandalum: ideó ſecurius eſt Montem publicâ authoritate conſtitui: quia nempè Princeps ad Reip. Bonum poteſt varia circa hæc diſponere, & tamquam pauperum Curator eorum nomine conſentire in hoc onus, quod non poteſt Privatus.

Alia quæ hic objici ſolent, ſoluta reperies apud Scholaſticos.

CAPUT XIII.

De Emptione & Venditione.

EMptio eſt Pactio pretii dandi pro merce; Venditio, Pactio mercis dandæ pro Pretio. Undè realiter loquendo, non ſunt niſi unus Contractus mutuus.

Q. 1. *Quodnam ſit, & quotuplex juſtum Pretium rerum venalium?*

R. Juſtum Pretium eſt quod rei venalis valori adæquatur. Eſt duplex, unum legitimum, ſeu

lege taxatum ; Alterum vulgare quod communi hominum intelligentium æſtimatione conſtituitur, ſpectatis ſcilicet mercium copiâ, raritate, venditorum expenſis, periculis, labore ; item emptorum multitudine, paucitate &c. Hinc juſtum vel injuſtum Pretium dicitur comparativè ad varia loca, & variam in iis rerum æſtimationem: & fieri poteſt ut quod in uno eſt juſtum pretium, in alio ſit injuſtum.

Nota Pretium legitimum conſiſtere in indiviſibili, nempè præciſè in eo quod lege taxatum eſt : At Pretium vulgare habet latitudinem, intra quàm res pluris aut minoris vendi poteſt ſine Injuſtitiâ

Hinc vulgare communiter dividitur in Infimum, Medium, & Summum ; ita ut rem eandem eodem tempore, & iiſdem aliis circumſtantiis, poſſis pro libitu uno ex iis Pretiis emere, vel vẽdere citrà injuſtitiam, non tamen vendere ſupra ſummum, nec emere infra Pretium infimum

Quanta autem eſſe debeat diſtantia inter Pretium infimum & ſummum pendet à variis circũſtantiis, ſed præſertim à pretii quantitate: nam ſi pretium medium ſit 100, Summum erit 105, Infimum 95, aut circiter. Si Pretium medium ſit 10, Summum erit circiter 11, Infimum 9, & ita cum proportione de aliis. Spectanda maximè eſt praxis Timoratorum. Non poteſt tamen Mercator vendens pretio infimo, occultâ mercis diminutione, v. g. minuendo menſuram, pretium reducere ad medium, aut ſummum, ut ſæpè fit. ; quia hoc eſt contrà conventionem, adeòque contrà Iuſtitiam. Mol. & Alii.

Quantùm ad ea quæ neque lege, neque communi æſtimatione pretium habent, ut ſunt quædam gemmæ, aut aves raræ, picturæ aut ſtatuæ antiquæ, canes inſignes & induſtrii, quidam floſ-

culi. &c. Probabile eſt poſſe vendi quantovis pretio, quantum ſcilicèt obtineri poteſt, ut docent. Sotus, Valentia, uterque Medina, Toletus. &c, contra Leſſium, Salas, Turrianum. &c. qui meritò id negant, ſaltèm quando res iſtæ non ita ſunt raræ, quin aliquorum peritorum judicio determinari poſſit earum pretium.

Q 2. *An aliquando liceat rem pluris vendere, aut minoris emere quàm valeat?*

R. Etſi nullo modo liceat rem pluris vendere, aut minoris emere, quàm hic & nunc valeat omnibus conſideratis; variis tamen de cauſis licèt rem pluris vendere, quàm alioquin per ſe valeat. id intelligendo præſertim de pretio vulgari. Cauſæ autem pluris vendendi eſſe poſſunt ſequentes.

1. Modus vendendi, ut ſi res vendatur per auctionem, ſive ſub Haſtâ: cum enim tunc Venditor periculo ſe exponat vendendi minoris quàm res valeat propter paucitatem, aut frigus licitantium, æquum eſt ut pluris vendere poſſit ob multitudinem & fervorem eorumdem offerentium ſupra juſtum rei pretium.

Cavendum tamen ne per fraudem, vel ſubornationem extrahatur res extra juſtum pretium; tunc enim eſſet injuſtitia, & obligatio reſtituendi. Secùs ſi tantùm ſubornentur aliqui ut præcisè reducatur ad pretium juſtum.

2. Expenſæ, aut labor in rebus conquirendis, vehendis, conſervandis, &c. modo tamen expenſæ non provenerint ex infortunio, vel ex negligentiâ aùt imperitiâ vendentis. Item niſi pretium jam conſtitutũ ſit habitâ ratione periculorum, laborum, expenſarum &c. quæ ordinariè pro ſimilibus ſubiri ſolent; tunc enim ſi plures expenſas feceris, ſi plus laboris, aut periculi ſubiveris &c. imputare debes tuæ malæ fortunæ; ſicut è contra bonæ fortunæ, ſi rem comparaveris mi-

nore ſumptu, aut labore quàm communiter ſoleat.

5. Lucrum ceſſans, Damnum emergens, periculum amittendæ ſolutionis, ut ſupra de Mutuo: horum enim cauſâ potes rem tuam pluris vendere. Ut ſi vendas inſtrumenta artis tuæ tibi percommoda, ſi frumentum, quod ipſe poſteà debebis tibi cariùs emere, aut fuiſſes poſtea pluris venditurus.

Potes etiam rem pluris vendere ob ſpecialem affectum quem habes erga illam, ut quia antiqua, quia accepta à Majoribus, quia te peculiariter oblectat &c. monendus eſt tamen emptor plus exigi ob ſimiles cauſas, quia fortè non emeret, ſi ſciret rem ſibi vendi cariùs, quàm ſecundùm ſe valeat.

Non licet tamen pluris vendere, eo quòd emptori valde placeat, aut eidem valde utilis, aut neceſſaria ſit. Quia ut rectè S. Tho. q. 77. art. 1. hæc utilitas non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis, nemo autem debet alteri vendere quod non eſt ſuum, licet poſſit ei vendere damnum quod patitur.

Hinc auriga injuſtè plùs petit pro vecturâ ab eo quem videt valde laſſum eâ indigere.

Item injuſtè domum tuam meæ contiguam mihi cariùs vendes præcisè quia vides me erga illam affici, mihique eſſe valde utilem aut neceſſariam.

Aliud eſt, quando plures erga rem eandem valdè afficiuntur; ut ſi plures eam domum expetant; Si plures hìc & nunc valde laſſi, eundem currum velint conſcendere, qui tamen non poſſit omnes capere.

Similiter variis de cauſis licet rem minoris emere quàm in ſe valeat: ut ſi quis rem ſibi parùm utilem emat in gratiam venditoris.

Si merces ultrò offerantur, nam merces ultro-

neæ vileſcunt. Monent autem hic DD. cavendum ne peccetur graviter contra charitatem, quando pauperes ex neceſſitate ultrò offerunt ſua divendenda: niſi fortè eo caſu emptor non indigeat mercibus à paupere oblatis, ſed ex ſolâ miſericordiâ emat.

Item licet viliùs emere ob extraordinariam mercium copiam, emptorum paucitatem, feſtinationem venditorum &c. his titulis excuſari poſſunt qui viliori pretio emunt ſpolia militum, merces ſub finem nundinarum reſiduas &c.

Item ſi ſimul & ſemel in magnâ copiâ res vendatur, minoris emi poteſt, quàm ſi minutim & per partes.

Q. 3. *An liceat pluris vendere ob dilatam ſolutionem, aut minoris emere ob anticipatam?*

R. Neutrum licere extra latitudinem juſti pretii, niſi adſit alius titulus: Ratio eſt, quia utrobique eſſet implicitum Mutuum, & quod acciperetur ſupra rei, aut pretii valorem, acciperetur ratione Mutui.

Dixi 1. *extra latitudinem juſti pretii*, quia cum venditor habeat jus vendendi ſummo pretio, & emptor jus emendi pretio infimo intra latitudinem juſti pretii, licitum eſt preſente pecuniâ vendere pretio infimo; credito autem, pretio ſummo.

Dixi 2. *Niſi adſit alius Titulus*, quia ſæpe fit ut id liceat ratione damni emergentis, lucri ceſſantis, periculi, difficultatis obtinendæ ſolutionis. &c. juxta dicta de Mutuo. Ut autem hic cenſeatur lucrum ceſſans, non ſufficit quod mercator ex eâ pecuniâ lucrum faceret, ſi in præſenti ſolveretur (nam æque ceſſaret iſtud lucrum ſi merces illas nemo emeret) ſed præterea requiritur ut ex hoc quod credito tibi vendat, non poſſit vendere aliis qui emerent paratâ pecuniâ.

Q. 4. *An qui privatim ſcit rerum pretium, item mo-*

netæ valorem brevi minuendum, poſſit interim currente valore & pretio ſua vendere ?

R. Aff. S. Tho. & alii communiùs.

Prob. Quia ſcientia privata non mutat communem æſtimationem, ex quâ petitur juſtum cujuſque rei pretium.

Confirmatur : ex Pacto Ioſephi. Gen 41. Quod etiam aliqui non improbabiliter extendunt ad Senatores civitatis, vel Conſiliarios Principis, modò fraus omnis abſit, neque procurent ideo differri pretii vel valoris imminutionem, donec ſua diſtraxerint. Ita Turrianus, quem ſequitur Lugo Diſp. 26. n. 143. contra Mol. Leſſ. Salas. & alios plures docentes ejuſmodi Senatores aut Conſiliarios in hoc caſu, non poſſe uti notitiâ, quam ut tales habent, cum aliorum detrimento. Et quidem ſi malitiosè differant edicti publicationem eo ſolùm fine ut merces priùs, aut pecunias ſuas diſtrahant, aut ſi contra debitum officii, alicui ſubditorum legem brevi promulgandam revelent, quâ notitiâ ille utatur cum aliorum detrimento, dicendi ſunt peccare contra juſtitiam, & proinde teneri ad reſtitutionem.

Nota tamen ſi pretii diminutio ſecùtura ſit ex intrinſecis ipſius rei, tunc non licet eam pretio currente vendere ; quia eo ipſo res cenſetur eſſe defectuoſa, adeòque in præſenti minùs valet.

Hinc ſi privatim ſcias librum aliquem prohibendum, non potes eum pretio currente vendere, quia vitio authoris & ſuo eſt prohibendus. Salas.

Item ſi occultè ſcias debitorem tuum non eſſe ſolvendo, non potes debitum quod in illum habes pretio ordinario vendere, quia hoc debitum eſt jam defectuoſum, & vitioſum intrinſecè, cum debiti vel obligationis valor maximè pendeat ab ejus certitudine. Ita Leſſ. Salas Tannerus &c.

Q. 5. *An Credita, & Chirographa poſſint mino-*

ris emi quàm contineant

An v. g. Ius ad 100. aureos quos Petrus debet Paulo, emi poſſit 90.

Suppono ex antedictis, emi poſſe minoris ob periculum & moleſtias in obtinendâ ſolutione; imò ſubinde emi poſſe dimidio pretio, aut etiam minori, prout difficultas & incertitudo ſolutionis major fuerit. Hoc enim modo chyrographa, ſeu librantiæ militum ut vocant, multò minoris emi ſolent, quàm valeant. Quod Mol. Leſſ. & alii, contra Malder. extendunt etiam ad eos, quibus ob induſtriam, aut bonam fortunam ſolutio non eſt futura obtentu difficilis; quia ſatis eſt quòd ob ordinarias ſolutionis impetrandæ difficultates, communi æſtimatione non pluris valeant. Sicut enim ſi res aliqua communiter inutilis, mihi privatim ſit utiliſſima, poſſum nihilominùs illam emere ſecundùm communem æſtimationem, abſtrahendo à meâ propriâ utilitate, ita in propoſito.

Nota tamen eo caſu non poſſe ipſos debitores v. g. Principem, vel ejus procuratorem minoris emere ea debita, cum ipſe ſit cauſa minoris æſtimabilitatis, & obligationem habeat ad integrum debitum.

Hinc peccant contra Iuſtitiam Quæſtores Publici, & Miniſtri Regii, quibus incumbit ſolvere Regis creditoribus, quando ab eis emunt Debita illa minori pretio, & ea poſtea integra recipiunt à Rege; quia ſicut Rex non poſſet minoris emere, ita neque Miniſtri ejus poſſunt, ut notant Mol. Diſp. 313. & Salas de Uſuris. Dub. 26.

Item peccat contra Iuſtitiam Miniſter Regius, ſuggerens amico ut emat minori pretio debita illa Regis à Creditoribus, quæ poſtea integra emptori ſolvit diviſo inter utrumque lucro illius Emptionis: ita ferè Lugo. Diſp. 26. n. 102.

Quæſtio

Quæſtio eſt, an ſecluſis dictis incommodis extrinſecis, & quando debitum eſt liquidum, poſſint ea minoris emi quàm contineant?

R. Non poſſe: Sotus, Rebell. Mol. Leſſ. Lugo. & alii communiùs contra Cajet. Sa, Tolet. &c. Ratio eſt, quia ſecluſo omni incommodo extrinſeco, Ius ad 100., valet 100., & 100 in futuro ſolvenda non minùs valent quàm 100 præſentia: alioqui enim poſſent juſtificari Uſuræ: nam Mutuans poſſet licitè aliquid exigere ſupra ſortem præcisè ratione Mutui, ſeu præcisè quia daret præſentem pecuniam pro Iure ad ſimilem pecuniam poſtea recipiendam, quandoquidem hoc Ius minus valeret quàm pecunia præſens.

Q. 6. *An qui nomine alterius rem pluris vendidit, quàm fuerat ei præſcriptum, poſſit exceſſum ſibi retinere?*

R. Regulariter non poſſe, quia dominus non præſcribit pretium ne pluris, ſed ne minoris res vendatur. Idem cum proportione dicendum de eo qui alterius nomine rem minoris emit, quam præfixum fuerat.

Dixi *regulariter* quia quibuſdam caſibus poſſet augmentum iſtud retineri.

1. Si dominus expreſsè, vel tacitè conſentiat: in dubio tamen non eſt præſumendus conſentire.

2. Si ipſe ſibi eam rem emat, præſcripto pretio, & poſtea ut ſuam alteri vendat. Quo caſu ſervandæ ſunt conditiones empti & venditi: v. g. ut res jam pereat emptori &c.

3. Si impenſa opera aliundè indebita, nec gratis oblata aut promiſſa, iſti augmento adæquetur. Item ſi exceſſum illum obtinuerit per laborem extraordinarium à domino nullo modo intentum.

Addunt aliqui poſſe ſubindè retineri ut fructum induſtriæ: ut ſi juſſus alicubi vendere, ubi poſt

moralem diligentiam non poſſit vendere niſi pretio præfixo, rem aliò deferat, ubi obtineat aliquem exceſſum pretii. Vide Mol. Diſp. 363.

Nota Famulum cui à mercatore dictum ſit ſe in gratiam ipſius vendere minoris, non poſſe ideò aliquid ſibi retinere; quia communiter per hoc non intendit mercator dare aliquid ipſi famulo, ſed in ejus gratiam de rigore pretii aliquid remittere domino, cujus rem agit famulus. Idem dicendum de ſartore cui data eſt cura emendi pannum pro veſte, niſi fortè mercator expreſsè dicat, ſe illi lucrum iſtud dare, ut aliàs ad ſe redeat, & ex circumſtantiis appareat illum ſincerè loqui. Cavendum tamen nè ſartores eâ de causâ ſint nimis faciles in licitando. Vide Lugo. Diſp. 26. n. 133.

Q. 7. *An venditor teneatur occultum vitium mercis aperire & emptor illius bonitatem?*

Suppono venditorem teneri minuere pretium pro ratione vitii: quia alioquin non ſervaretur æqualitas inter rem & pretium. Hinc peccat contra juſtitiam qui vinum multâ aquâ dilutum vendit quaſi purum. Hoc poſito quæritur an rei vitium debeat emptori illud ignoranti aperire?

R. 1. Si emptor roget num res bona ſit: vel ſi petat ad certum uſum ad quem venditor novit non eſſe utilem, ſed potius noxiam, tenetur hic ex juſtitiâ aperire ejus vitium; alioqui tenebitur non tantùm ad reſtituendum exceſſum pretii, ſed etiam ad omnia damna ſecuta: ut ſi vitio tigni ædes corruerint; ſi ab ove morboſâ grex infectus ſit. &c.

R. 2. ſi neque emptor de vitio inquirat, neque res putetur futura illi noxia, aut inutilis ad uſum ad quem petitur; neque ſit morale periculum ne eam ulterius vendat ut integram, non tenetur venditor aperire vitium, modò detrahat de pre-

tio pro ratione vitii, neque ſit cauſa vel occaſio cur emptor eam accipiat ut integram. Caiet. Sot. Tolet. Valent. Leſſ. Tanner. &c. contra Mol. & Rebel. Ratio eſt quia jam nullus dolus intervenit, & emptor ſibi imputare debet quod ſibi fidens de vitio non interrogaverit. Monent tamen Cajet. Sot. & alii, ſi veriſimile ſit emptorem poſtea rem illam revenditurum ut integram, adeoque majori pretio, declarandum ei eſſe vitium, ſaltèm poſt contractum.

R. 3. Si ipſe venditor vitium ignorabat, tenetur poſtea minuere de pretio, niſi antea proteſtatus ſit ſe nolle teneri de vitio, ſi fortè aliquod ipſi ignotum ſubſit.

R. 4. Si venditor ſciens vitium, & rogatus an equus v. g. ſit bonus. reſpondeat ſe eum vendere talem qualis eſt, cæcum; claudum, ſternacem &c. nominando inter vitia quibus manifeſtè caret, etiam illud quo verè laborat; æque tenetur ac ſi non aperiret; adeoque poteſt contractus reſcindi tamquam dolo initus. L. *quæro* 39. ff. de actionibus empti.

R. 5. Si vitium rei ſit manifeſtum, venditor ad nihil tenetur niſi excedat in pretio, quia cenſetur vitium notum emptori. Si tamen venditori conſtaret emptorem id non advertere, tenetur manifeſtare. Mol. Rebel. Turrianus &c.

R. 6. Si emptor è contra advertat venditorem ignorare bonitatem mercis ſuæ; tenetur eam illi aperire, aut ſaltem ſic augere pretium ut ad æqualitatem deveniatur, id eſt, illam emat ſaltem juſto rei pretio. Quod maximè verum eſt ſi venditor quærat quantum res ſua valeat. Hinc peccant mercatores contra Juſtitiam, qui rogati, quantum res valeat, æſtimant eam infra juſtum pretium, quia ſperant ſe illam empturos. Lugo. Nec ſufficit ut docet Cajet. ſi quis v. g.

ruſtico gemmam parvo vendenti, dicat ſe nolle ſcrupulum habere, petatque ut illi condonet ſi fortè illa res pluris valeat; debet enim ei explicare rei valorem, alioquin quamdiu manet ignorantia, talis condonatio, non eſt ſufficienter voluntaria.

Q. 8. *utri pereat, aut deterior fiat res vendita ante traditionem?*

Suppono poſt traditionem omne periculum eſſe emptoris, licet pretium nondum ſit perſolutum, modò venditor de pretio fidem habuerit: Quia his poſitis emptor fit dominus rei: res autem quælibet, per ſe loquendo, domino perit. Quòd ſi venditor rem tradiderit animo præſentem pecuniam accipiendi, quam tamen necdum acceperit, nondum cenſetur dominium abſolutè tranſlatum in emptorem.

R. 1. Si res in ſpecie (ideſt in individuo determinato) ſit vendita v. g. hic equus, hic grex, hic acervus tritici &c. & ante traditionem pereat; regulariter perit emptori, qui nihilominùs debet pretium rei ſolvere.

Dixi *Regulariter*, quia quibuſdam caſibus res ſic vendita perit venditori, ut ſi ejus culpâ pereat, aut is ſit in morâ, aut aliter conventum ſit &c

R. 2. Si res vendita ſit indeterminatè quoad individuum tam ſui, quàm corporis ex quo ſumenda eſt, puta, equus, ovis, non determinãdo, quis, vel quæ, aut ex quo armento vel grege ſumi debeat, totum periculum eſt penes venditorem, qui tamen non propterea liberatur ab obligatione contractûs; ſed tenetur illum ſervare, quamdiu præſtare poteſt alia individua, licet ea quæ tradere conſtituerat, perierint.

R. 3. Si res vendatur indeterminatè in ſe, ſed tamen ut pars alicujus determinati, puta decem oves

ex hoc grege, decem pocula ex hoc dolio &c. aut ſi res in ſe determinata vendatur pretio taxato non in ipſum totum, ſed in ſingulas ejus partes ad menſuram, numerum &c. ut ſi emas hoc dolium vini, taxato pretio in ſingula pocula quæ inde promentur, hunc acervum tritici, taxato pretio in ſingulas raſerias; hunc gregem taxato pretio in ſingula capita, &c. ante traditionem, aut menſurationem, vel numerationem, res perit venditori qui contractu, per rei interitum reſoluto, tenetur pretium reſtituere, ſi erat ſolutum. L. *quod ſæpè* 35 ff. de contrahendâ emptione. §. 5. ubi hæc additur ratio: Quòd ejuſmodi venditio videatur fieri ſub hac conditione: dabo tibi tantùm in ſingulas metretas quas admenſus eris, in ſingula capita quæ adnumeraveris &c.

R. 4. Si res vendita ſit ſub conditione de futuro, quamdiù pendet conditio, periculum rei quoad ſubſtantiam ad venditorem pertinet; deterioratur tamen, aut melioratur emptori, modò venditor non ſit in culpâ.

R. 5. Si res vendatur ſub disjunctione, v. g. hic equus niger, vel ille albus, & ambo ſimul pereant, unus peribit emptori, & alter venditori: ſi ſucceſſivè, prior peribit venditori, poſterior emptori.

Q. 9. *Cujus ſint fructus qui naſcuntur ex re vēditâ ante traditionem vel Pretii ſolutionem?*

R. 1. Fructus pendentes, id eſt, ſolo adhuc adhærentes tempore venditionis, fiunt emptoris; quia cenſentur pars fundi.

R. 2. Si contractu perfecto emptor pretium ſolverit, vel obtulerit, & venditor ſit in morâ rei tradendæ, fructus omnes poſt contractum nati debentur emptori. Ratio eſt, quia venditor per moram eſt cauſa cur emptor non conſequatur plenum dominium, & non percipiat fructus

ex re ſuâ : imò eo caſu tenetur venditor emptori ad omne intereſſe.

R. 3. Si venditor rem tradat emptori, habitâ fide de pretio, fructus ſunt emptoris. Quia tunc emptor eſt abſolutè dominus. Quod etiam verum eſt, licet emptor ſit in morâ ſolvendi pretii. Nam licèt per moram faciat injuriam venditori, non tamen deſinit eſſe dominus rei aut fructuum, tantùmque tenetur ad intereſſe, ſi quod eâ cauſâ patiatur venditor, non autem ad fructuum æſtimationem, aut uſuras pretii.

An autem etiam ante traditionem rei, aut re quidem traditâ, ſed non habitâ fide de pretio, fructus ſint emptoris, controvertitur utrimque probabiliter; deberi emptori, niſi aliter ſit conventum, & ſi venditor eos collegerit, eum teneri emptori ad illorum æſtimationem deductis deducendis, tenent Leſſ. Turrian. Layman & alii Theologi communiùs: Negant Couarr. 3. variarum c. 4. & plures Iuriſtæ, & ex Theologis Mol. Tanner. Amicus &c.

Q. 10. *Quænam cenſeantur cum re venditâ ſimul vendi ?*

R. 1. Venditâ ditione, pago, caſtro &c. ſimul vendi cenſentur Iura illis annexa, ut Ius Patronatûs &c. niſi aliter conventum ſit.

R. 2. Vendito fundo ſimul intelliguntur venditi fructus ſolo adhærentes tempore contractus, non tamen fructus ſeparati, quamvis nondum aſportati.

R. 3. Venditâ domo; ſimul vendita cenſentur portæ, ſeræ, claves, & ſimilia; non tamen vaſa aut alia ejuſmodi utenſilia.

R. 4. Vendito equo ſimul vendita ſunt ea ornamenta, quibus inſtructus, venalis proponitur, ut frænum, capiſtrum. &c. Secus ſi ornatus ſit itineris cauſâ. Si autem vendatur abſens, nu-

dus vendi cenſetur, vel ſaltem cum ſolo capiſtro, quo commodè duci poſſit.

R. 5. Penſiones annuæ currentes pro re locatâ, vel datâ in Emphyteuſim, videntur dividendæ inter emptorem & venditorem pro ratâ temporis: ita Covarr. Gomes. Mol. &c.

Q. 11. *Cui debentur res duobus ſeorſim ſucceſſivè vendita?*

R. 1. Si res neutri tradita fuerit, debetur primo emptori juxta regulam juris 54. in 6. *qui prior eſt tempore, prior eſt jure.*

R. 2. Si res tradita ſit ſecundo emptori, eſt ipſius: priori tamen competit actio in venditorem, ut vel reſciſſo ſecundo contr actu rem ſibi tradat, vel ſaltèm præſtet quanti intereſt rem alteri fuiſſe traditam.

Excipe eos caſus in quibus ipſo jure per ſolam conventionem abſque traditione transfertur dominium, ut ſi quid Eccleſiæ vendatur; tunc enim traditio facta emptori poſteriori nihil operatur, quia jam tranſlatum eſt dominium.

Q. 12. *An liceat vendere cum pacto retroventitionis?*

R. aff. ex l. 2. Cod. de Pactis inter emptorem, modo tamen ſervetur æqualitas; ſic videlicèt ut ſi tale pactum fiat in favorem venditoris, minoris vendatur quàm alioqui fieret; è contrà pluris ematur, ſi fiat in favorem emptoris.

Nota in ejuſmodi contractibus ſæpe intervenire palliatam uſuram.

1. Si mercator petenti mutuum, nolit illud concedere, ſed ejus loco merces ei credito vendat ſummo pretio ſtatim redempturus infimo: quod ob periculum uſuræ multis locis prohibitum eſt, præſertim quando venditor emptorem obligat ad ſibi potiùs quàm alteri revendendum: qui contractus dicitur Mohatra, & proſcriptus eſt ab Innoc. XI. in his terminis; *Contractus Mohatra lici-*

tus eſt, etiam reſpectu ejuſdem Perſonæ, & cum Contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri: quæ eſt Propoſitio 40ª. inter 65. damnatas.

2. Si ſimul cum pacto retrovenditionis adjiciatur pactum locationis, ut ſi mercator v. g. nolens dare mutuum indigenti, emat ejus domum cum pacto retrovenditionis, ac deinde illam ei locet; hæc enim & ſimilia quamvis fortè ex rei naturâ, & ſpeculativè non ſint illicita, in praxi tamen ſunt valde periculoſa, & palliandis uſuris obnoxia.

Q. 13. *An Monopolia ſint licita?*

Monopolium ex vi vocis idem eſt, ac unius ſolius venditio. Et eſt machinatio, aut induſtria mercatorum, quâ efficiunt, ut vel ipſi ſoli certas merces vendant, vel nonniſi certo pretio.

R. Quatuor præſertim modis fieri ſolere Monopolium, de quorum ſingulis dicemus an liceant.

Primus eſt cum unus, aut pauci impetrant à Principe ut ipſi ſoli certas merces vendant: hoc Monopolii genus non eſt illicitum, ſi fiat ex juſtâ causâ & juſto pretio. Ratio eſt, quia ſunt quædam merces ad quas conficiendas, vel comparandas, faciendi ſunt magni ſumptus, quos ſine hujuſmodi privilegio nemo facilè velit ſuſcipere, ut contingit v. g. in librorum impreſſione.

Secundus modus eſt cum plures mercatores inter ſe conſpirant ut merces non vendant niſi certo pretio. Quòd ſi illud excedat juſtum pretium, manifeſtè peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem: ſi autem non excedat, poſſunt quidem, ex communi, graviter peccare contra charitatem & juſtitiam legalem, eo quòd ejuſmodi conſpirationes vergant in detrimentum boni publici, & ideo meritò prohibentur & puniuntur à Magiſtratibus: ſed dubium eſt an peccent contra juſtitiam commutativam;

Negant Mol. Leſſ. Petrus Navarra Filiuc. : & alii apud Salas ; Ratio illorum eſt quòd vendant intra latitudinem juſti pretii, ut ſupponitur, adeoque nulli videantur facere injuriam, cum non teneantur vendere pretio minori. Affir. nihilominus Sylveſt. Sor. Valent Rebel. Layman &c. tum quia qui ſic faciunt, privant cives jure quod habent emendi pretio medio, aut infimo, tum quia privatâ authoritate mutant rerum pretium, illud quod de ſe latitudinem habet, reſtringendo ad ſummum.

Tertius modus eſt, cum unus vel pauci, coëmunt omnes merces certi generis, eaſque ſupprimunt donec ex penuriâ creſcat pretium.

Hoc Monopolii genere peccari contra juſtitiam multò plures tenent quàm in caſu præcedenti, quos citat & ſequitur Salas. Fundamentum eorum eſt 1. quòd contra jus civium, exiſtente reipsâ magnâ mercium abundantiâ inducant illarum caritatem. 2. Quòd poſtea pro arbitrio pretium conſtituant, 3. Quòd incrementum pretii ortum habeat ex ipſarum ſuppreſſione. Nihilominus oppoſitum tenent, Bannes. Mol. Leſſ. &c. Quia eo caſu mercatores utuntur jure ſuo, tum merces illas emendo, cùm, ut ſupponitur, illas emant juſto pretio: tum eas ſervando, cùm habeant jus pro libitu diſponendi de rebus ſuis; tum illas vendendo, cùm vendant pretio tunc communi æſtimatione, & attentis omnibus circumſtantiis juſto.

Addunt tamen authores iſti, hęc meritò prohiberi, & ſeverè puniri, tamquam Reipublicæ pernitioſa; & tales peccare graviter contra juſtitiam legalem, & contra charitatem.

Quartus modus eſt, cùm quis impedit ne certæ merces in urbem, aut Regnum importentur, ut ipſe ſuas cariùs vendat. Si id faciat ſine vi, aut

dolo, non peccat contra juſtitiam, quia alii nullo jure tenentur ad ſuas merces eo invehendas: secùs ſi vi vel dolo id impediat; quia Reſp. habet jus, etiam ſtrictum nè vi, vel dolo impediatur ejus commodum licitum: ſic licèt pauper propriè non habeat jus ad eleëmoſynam, habet tamen jus ne vi, vel dolo ab eâ recipiendâ impediatur.

Col. Eos graviter peccare contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, qui factâ inter paucos conſpiratione, vel etiam abſque illâ, valorem monetæ ſenſim augent privatâ authoritate: quia ſunt cauſa injuſta damni, quod creditores patiuntur in receptione ſuorum cenſuum, aliorumve debitorum. Quâ in re habenda eſt ratio damni ingentis, quod ſequitur etiam ex exiguo augmento v. g. ad unum alterumve quadrantem in ſingulas monetæ partes. De quo Layman. l. 3. Tract. 3. Part. 1. c. 5. n. 9. Ubi dicit ipſos etiam Principes graviter peccare, ſi abſque publicâ neceſſitate mutationem monetæ inſtituant. Cæterum poſtquam illud monetæ augmentum invaluit, non peccant qui monetas eo valore diſtrahunt.

Q. 14. *An & qua Negotiatio ſit licita Clericis & Religioſis?*

Negotiatio eſt, cum res eo animo emuntur, ut poſtea cariùs ad lucrum comparandum diſtrahantur. Dicitur *eo animo &c.* quia ſi tantùm fiat per accidens, ut ſi quid 1. emptum ſit ad uſum proprium, quod poſtea ex occaſione cariùs vendatur, non eſt negotiatio. Alia eſt propriè dicta, qua res eadem omninò immutata cariùs venditur: alia impropriè dicta, quâ res in melius mutata venditur.

R 1. Negotiatio propriè dicta, etſi ſecundum ſe non ſit illicita, Clericis tamen ac Religioſis prohibita eſt variis capitulis, idque ſub pænâ ex-

communicationis, depoſitionis, & ſi moniti non abſtinuerint, privationis privilegii clericalis. Vide etiam Trid. ſeſſ. 22, c. 1. de Reformatione. Ex quibus ſequitur ejuſmodi negotiationem illis eſſe prohibitam ſub mortali; ſaltem ſi pluries ſit exercita, ut limitant Leſſ. Salas. Malder. &c. Intellige reſponſionem de Clericis qui ſunt ſacris initiati, & de Religioſis generatim, ut notat Leſſ. poſt Medinam.

R. 2. Negotiatio impropriè dicta, non videtur Clericis aut Religioſis, ſaltem univerſim prohibita: quod probat S. Hieronymus relatus cap. *numquam*. de conſecrat. diſtinc. 5. exemplo Apoſtolorum, & veterum Monachorum, qui ſportas, Storeas, & ſimilia faciebant ut venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent, & quamvis non poſſint aliena prædia conducere ut lucrentur ex eorum fructibus, quia id expreſsè prohibetur multis capitulis: cauſa 21. q. 3. poſſunt tamen proprios agros colere, nec tantùm vendere eorum fructus, ſed ex iis cereviſiam, vinum &c. conficere, quod poſtea divendant.

Item poſſunt lapides, vel metalla ex ſuis fundis, cædere vel eruere, ſive ea mutent in aliam ſpeciem, ſive non.

Item greges in ſuis prædiis alere, ut ex fœtu, lacte, lanâ, pecuniam conficiant, aut ut ipſa animalia adulta & ſaginata vendant. Vide Mol. Leſſ. Layman. &c.

An autem poſſit Clericus negotiari per alios, item an dicta prohibitio extendatur ad Clericum non in Sacris conſtitutum, ſed habentem Beneficium Eccleſiaſticum: vide apud Dian. p. 1. tract. 8, reſ. 72. & 73. quoad primũ plures dicunt licere: quoad ſecundum communiùs ad illos extendunt, ſi Beneficium ſufficit ad ſuſtentationem.

CAPUT XIII.

De Locatione & Conductione, item Emphyteuſi, Feudo &c.

Q. 1. *Quæ ſint Locatoris & Conductoris obligationes?*

Locatio eſt contractus, quo res vel perſona ad uſum vel fructum pretio conceditur: conductio, quo res vel perſona pretio accipitur.

R. Obligationes locatoris & conductoris ſunt hæ: uterque tenetur etiam in foro externo de læſione ultra dimidium, in foro interno de quâlibet.

Locator tenetur 1. aperire conductori vitia rei locãdæ, alioqui tenebitur ad præſtandum intereſſe, ſi quod evenerit

2. Tenetur ad expenſas pro reparatione & conſervatione rei locatæ: item pro neceſſariis ad hoc ut res locata poſſit eſſe utilis ad finem ad quem locata eſt. Unde ex jure communi locator agri, vineæ &c. tenetur ſubminiſtrare inſtrumenta idonea.

3. Tenetur ad onera publica v.g. vectigalia, refectiones viæ publicæ &c. Non tamen ad onera impoſita pro fructibus, cùm enim commodum fructuum ſit conductoris, æquum eſt ut onera ſint illius propria. Intellige hæc niſi conſuetudo loci, aut conventio aliter diſpoſuerit.

Conductor verò tenetur 1 re uti, vel frui juxta boni viri arbitrium, non ad uſus indignos contra tacitam aut expreſſam conventionem.

2. Tenetur pro illius conſervatione adhibere curã

quam vir prudens adhibet pro ſuis ejuſdem generis.

3. Tenetur penſiones ſolvere præfixo tempore.

Locator & conductor ſibi invicem obligantur ex dolo, culpâ latâ, & levi, non tamen leviſſimâ regulariter loquendo; multò minùs ex caſu fortuito.

Dixi *regulariter*. 1. Quia conductor tenetur etiam de culpâ leviſſimâ, ſi res ſit valde pretioſa, cui ex communi hominum judicio debeatur extraordinaria cuſtodia; aut ſi ita conventum ſit; ſed tunc penſio eſt minuenda.

2. Quia tenetur de caſu fortuitò, ſi per moram reſtituendi, aut per tranſgreſſionem alicujus pacti, aut aliâ ratione culpabiliter caſui fortuito occaſionem præbuerit.

Q. 2. *Ad quid teneatur conductor, ſi res pereat, vel fiat inutilis?*

R. 1. Si res pereat caſu fortuito, aut conductor abſque ſuâ culpâ de ejus poſſeſſione detrudatur, vel eâ uti impediatur, ut ſi domus minetur ruinam, infeſta ſit ſpectris, ſi ob peſtis aut belli periculum deſeri debeat &c. non tenetur penſionem ſolvere niſi pro ratâ temporis, quo re uſus eſt. Quod tamen de peſte dicitur, non ſervatur in Belgio. An autem periculo ceſſante teneatur conductor rem locatam recipere, pendet à circumſtantiis. Docet Molina teneri, ſi res ſit integra; ſi non ſit integra (ut quia ob diuturnum bellum aliò migravit) non teneri.

R. 2. Si res conducta fiat notabiliter minùs utilis, ut ſi domus ex parte ruat, ſi vicino ædificante, lumina domûs obſcurata ſint &c. poteſt conductor contractum reſcindere, vel pro ratâ minoris utilitatis penſionem minuere.

R. 3. Si ex parte conductoris oriatur, quominùs utatur re conductâ, idque ſive ex ejus culpâ, ſive ſine culpâ, tenetur ad integram penſionem,

niſi aliter conventum ſit. Quòd ſi ex culpâ locatoris conductor re conductâ uti impediatur, locator tenetur conductori, non tantùm remittere penſionem, aut mercedem, ſed de damno & omni intereſſe.

Q. 3. *An ratione ſterilitatis minuenda ſit penſio, aut augenda ratione ubertatis?*

R. 1. Si tanta fuerit ſterilitas ut colonus nihil recipiat, liberatur à ſolutione penſionis. Idem dicendum ſi vi tempeſtatis, hoſtium depopulatione, vel incendio abſque coloni culpâ ſegetes pereant, etiam ſeparatæ à ſolo, & collectæ in manipulos.

Intellige niſi colonus convenerit de præſtando fortuito, & propterea minore pretio conduxerit. Addit Leſſ. contra Mol. idem dicendum eſſe, ſi ſegetes jam in horreum illatæ; fulmine vel ab hoſte pereant, ſecùs ſi aliter.

R. 2. Si colonus aliquid quidem receperit, magna tamen & notabilis fuerit ſterilitas, aut jactura frugum; ſeu, ut loquuntur Iura, ſi; pluſquam tolerabile eſt, læſi fuerint fructus, minuenda eſt penſio pro ratâ: Intellige, niſi fructuum paucitas valoris incremento, aut præcedentium vel ſequentium annorum ubertate compenſetur. Porrò ſterilitas, ſeu jactura frugum tunc cenſetur magna, quando deductis ſemine & expenſis, non recipit colonus valorem dimidiæ penſionis; idque non ratione vilitatis frumenti ſed ſterilitatis aut jacturæ, à tempeſtate, incendio, hoſtibus. &c.

R. 3. Si ſterilitas vel jactura non fuerit valde notabilis, non tenetur locator quidquam remittere de penſione.

R. 4. In caſu magnæ & extraordinariæ ubertatis, ſi ea oriatur ex induſtriâ coloni, non eſt augenda penſio: ſi ex auræ favore, & penſio ſolvatur in pecuniâ, rarò augenda eſt, quia fructus eo ſunt viliores quo abundantiores: ſi autem penſio

ſolvatur in fructibus, æquum quidem eſt ut penſio augeatur, cùm alioqui non eſſet æqua utriuſque conditio, praxis tamen ferè eſt contraria.

Q. 4. *An qui operam ſuam locavit pluribus in ſolidum, poſſit à ſingulis accipere integrum ſtipendium?*

Dicitur *pluribus in ſolidum*; nam certum eſt, ſi non pluribus ſeorſim, ſed multis ſimul concurrentibus operam locaverit, non poſſe tantum à ſingulis exigere, atque ſi illam ſingulis obligaſſet. Hinc non poteſt nuncius ordinarius tantum accipere à ſingulis, quantum poſſet ab uno à quo expreſsè mitteretur.

R. Ad quæſitum affir. modò ejus opera pluribus præſtita, æquè commoda ſit ſingulis, nec quidquam in contrarium lege conſtitutum ſit. Mol. Leſſ. Layman. & alii communiùs contra Tannier.

Prob. Quia ex unâ parte ſunt diſtinctæ obligationes & independentes ab invicem; ex alterâ autem quòd opera mea ſit per accidens ſimul utilis alteri, non minuit valorem, quem habet in ordine ad utilitatem ſuam.

Nota tamen, ſi quis vel ex officio, vel authoritate publicâ profiteatur exhibere operam omnibus communem, ut ſunt Nuntius ordinarius, Nauta, Advocatus, Medicus &c, non poteſt ordinariè operam locare ſingulis in ſolidum; quia vi officii debet exhibere communem, adeoque reſpectu ſingulorum de pretio detrahere.

Col. 1. Commiſſarium ſpecialiter pro agendâ aliquâ causâ deputatum, cui taxati ſint pro mercede duo aurei in diem, poſſe accipere 4. 6. &c. ſi pluribus cauſis expediendis ſingulariter & independenter ab invicem deputetur. Aliud eſt ſi quis pro altero peregrinationem inſtituat ad certum locum: is enim non poteſt pro eâdem peregrinatio-

ne ſtipendium accipere, quia cùm labor itineris ſit meriti, & ſatisfactionis finitæ, non poteſt eſſe æquè utilis multis atque uni. Similiter Sacerdotem non poſſe pro eâdem Miſsâ ſtipendium à pluribus accipere, dicetur in tract. de Euchariſtiâ.

Col. 2. Si quis acceperit pretium pro reducendo equo Pariſios; & deinde reperiat mercatorem qui equum conductitium Pariſios uſque quærat, poſſe etiam ab hoc pretium accipere. Item ſi expreſſus eò miſſus cum litteris incidat in nuntium qui eodem vadit, poteſt ei tradere litteras, & ſui itineris pretium retinere, modò omnimodam habeat certitudinem, rem æqualiter à nuntio atque à ſe perficiendam.

Q. 5. *Quodnam ſit juſtum ſtipendium Famulorum operariorum &c.?*

R. in genere eſſe illud quod cõmuniter ejuſmodi hominibus pro tali miniſterio pendi ſolet, ſpectatis circumſtantiis, temporis, loci, &c. in quo etiam ut in pretio mercium datur latitudo ſummi, medii, & infimi. Undè ſolvendum eſt ſaltem infimum, etiam ſi de illo conventum non ſit, ſed abſque conventione res tota relicta ſit arbitrio domini ſeu conductoris, niſi fortè tale ſit obſequium, pro quo nulla merces exigi ſoleat, aut deberi cenſeatur præter honeſtam ſuſtentationem, & veſtitum competentem, ut in pueris honorariis, &c. Item niſi dominus aliquem recipiat potiùs ex miſericordiâ, quàm quòd ejus operâ egeat; tunc enim poteſt multò minor merces conſtitui, & ſæpe ſufficiet victus & amictus.

Q. 6. *An qui putat ſibi parùm ſolvi, poſſit uti occultâ compenſatione.*

R. Poſſe ſi certò conſtet plus illi deberi ex juſtitiâ, nec aliter poſſit obtineri: ſecùs ſi ſolvatur quod debetur, quamvis exiguum ſit.

Hinc ſi famulus ultrò locavit ſe pro pretio juſto, ſed

ſed infimo, non poteſt uti compenſatione, licèt advertat ſe alibi cum eodem labore plùs fuiſſe lucraturum. Si tamen metu injuſto Dominus coegerit ſibi potiùs ſervire quàm alteri, ubi juſtè plùs lucratus fuiſſet, tenetur Dominus de damno; adeoque ſi rogatus id nolit compenſare, poterit famulus occultè ſurripere. Quòd ſi Dominus non coegerit quidem ſervire, ſed famuli paupertas, tenetur tùm dare ſaltèm infimum pretium juſtum, niſi, ut ante dictum eſt, Dominus ſervo non indigeat; ſed illum accipiat ex merâ charitate & miſericordiâ, idque famulo ſignificet. Quòd ſi omnibus conſideratis merces quidem ſit exigua, ſed nec plùs promiſſum ſit, nec deſint alii qui parati ſint idem obſequium eodem pretio præſtare, ſignum eſt non plùs deberi ex juſtitiâ: quod notandum eſt pro iis operariis & famulis, qui ut furta ſua excuſent, obtendunt ſibi non ſolvi quantum merentur; nec facilè, inquit Lugo, credendum eſt famulis allegantibus defectum juſti ſtipendii.

Col. meritò ab Innoc. XI damnatam eſſe hanc Propoſitionem inter 65. 37^am. *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt.*

Q. 7. *An teneatur Dominus ad expenſas famuli, aut famulæ ægrotantis?*

R. in rigore non teneri, uti nec ad ſtipendium tempore morbi: quia vi locationis tantùm tenetur ad ſtipendium & expenſas ordinarias alimentorum pro eo tempore [illegible]. Gomez. Aſor. Mol. Rebel. Lugo. [illegible] contra Covarr.

Charitas tamen poſtulat [illegible] expēſas & alimēta ſaltèm ad tempus [illegible] eſt timoratorum praxis. Ipſi autem [illegible] tempus locationis præfixum non tene[illegible] ſupplendum tempus morbi, nec domini illos ad hoc admittere.

Q. 8. *Quid debeatur famulo ante præfixum tempus abeunti?*

R. Si diſcedat coactus & ex Domini culpâ, illi debetur per ſe loquendo integrum ſtipendium, & compenſatio damni, ſeu intereſſe. Si verò diſcedat ſuâ culpâ, nihil illi conceditur in foro externo, at in foro conſcientiæ, ſecluſo pacto contrario, vel conſuetudine, debetur merces pro ratâ temporis quo ſervivit. Similiter Servo vel operario ad certum tempus conducto ſolvi debet merces, ſi de ſe paratus ſit laborare, ſed Dominus operâ ejus uti nolit, ſicut ſi quis conduxiſſet domum, quam poſtea nollet inhabitare

Q. 9. *Quid ſint Emphyteuſis, & feudum?*

R. Emphyteuſis eſt conceſſio rei immobilis quoad dominium utile, ſub onere penſionis realis ſtatis temporibus ſolvendæ proprietario retinenti dominium directum. Is qui rem dicto modò accipit, dicitur emphyteuta. Dividitur in perpetuam, quæ datur in perpetuum, & in temporalem, quæ datur ad tempus; vel determinatum. v. g. ad 99. annos &c. vel indeterminatum v. g. uſque ad mortem emphyteutæ.

Feudum ſumptum pro contractu, eſt conceſſio rei immobilis, aut quaſi immobilis quoad dominium utile ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis Domino directo exhibendi; aliàs ſumitur pro ipsâ re feudali. Qui feudum accipit, dicitur feudatarius.

Differt feudum ab emphiteuſi, 1. quòd in hâc ſolvatur penſio realis, in feudo autem, ſaltèm puro ſolùm debeatur fidelitas, ſeu obſequium perſonale.

2. Quòd Emphyteuta tantùm ſemel ſolvat laudemium, ut vocant (quod jure communi eſt 50a. pars valoris rei. Ex jure autem particulari variorum locorum 40. 30. aut etiam 20.) nempe in

ipsâ inveſtiturâ: at in feudo non ſolùm primus vaſallus, ſed quilibet Succeſſor, etiam hæres tenetur intra annum & diem petere renovationem inveſtituræ, & præſtare juramentum fidelitatis. Imò ſi moriatur Dominus directus, debet vaſallus intra idem tempus ab ejus ſucceſſore rurſùm inveſtituram petere, alioqui incurrit caducitatem.

3. Quòd in emphyteuſi jure communi ſuccedant etiam fœminæ; in feudo autem regulariter ſoli maſculi. &c.

Plura de his, præſertim de obligationibus emphyteutæ, & feudatarii vide apud Leſſium &c.

CAPUT XIV.

De Cenſibus.

Q. 1. *Quid Cenſus & quotuplex?*

R. 1. Cenſus eſt jus percipiendi penſionem ex re, vel perſonâ alterius. Contractus autem cenſualis eſt quo jus iſtud venditur & emitur. Qui hoc jus emit dicitur Cenſualiſta; qui vendit Cenſuarius.

Cenſus generaliter dividitur in reſervativum, & conſignativum.

Reſervativus, eſt quo quis in alterum transfert rei ſuæ dominium directum & utile, reſervato ſibi jure penſionis annuæ ſuper eâdem re.

Conſignativus eſt, quo quis ſuper perſonâ aut bonis ſuis jus alteri conſignat, ſeu tribuit percipiendi penſionem annuam. De hoc præſertim hîc agitur.

Cenſus conſignativus ſubdividitur 1. in realem, perſonalem & mixtum.

Realis eſt qui fundatur ſuper re alterius v. g. prædio, domo &c. & ideò rem comitatur quantumcumque ejus poſſeſſio ambulet; & re pereunte ipſe cenſus perit.

Perſonalis eſt qui fundatur ſuper perſonâ alterius, eamque immediatè, non ejus bona obligat.

Mixtus eſt qui fundatur ſuper utriſque, adeò ut re pereunte adhuc perſona maneat obligata.

Dividitur 2. In perpetuum & temporalem. Perpetuus in redimibilem & irredimibilem. *Redimibilis* eſt, qui cùm de ſe perpetuò duraret, tamen redimi poteſt, vel ex parte unius tantùm, puta venditoris, vel ex parte utriuſque. *Irredimibilis* eſt, qui redimi non poteſt, adeoque eſt abſolutè perpetuus. *Temporalis* alius eſt ad certum tempus v. g. 20. vel 30. annos. Alius ad incertum v. g. ad unius aut plurium vitam. Et hic dicitur vitalitius.

Q 2. *An ſit licita emptio novi cenſûs realis perpetui?*

R. aff. Eſt communis contra quoſdam qui id negant de cenſu novo; non de antiquo, dicuntque, ſi quis alteri dederit jus ad penſionem ſuper re ſuâ, vel etiam perſonâ recipiendam, iſtum alterum poſſe jus iſtud vendere; quia ante venditionem jam erat jus conſtitutum, & eſt pretio æſtimabile: ſi autem jus illud ante venditionem nondum erat conſtitutum, ſed ipsâ venditione primum conſtituatur, illicitam eſſe venditionem.

Ratio reſponſionis eſt, quia quilibet habet jus percipiendi penſionem ex re ſuâ: ergo illud poteſt tam vendendo quàm donando in alium transferre. Et verò cùm juxta adverſarios licita ſit emptio cenſûs antiqui, id eſt antea conſtituti per donationem, aut aliam liberam obligationem, quidni & cenſus novi, cùm ſit par ratio? Adde quòd ea ſit praxis paſſim ab omnibus approbata.

Dices 1. Contractus iſte videtur eſſe uſurarius; ſicut enim uſurarium eſt dare 90. in præſenti pro recipiendis in futurum ſimul & ſemel 100. ita uſurarium eſt dare 90. pro recipiendis in futurum per partes & intervalla 100. imò 200. & multò ampliùs ut fit in cenſu: imò in cenſu redimibili, cùm cenſus redimitur, recipitur ſors integra, & præterea retinentur penſiones.

R. Non eſſe uſurarium: quia in cenſu non datur pecunia præſens pro pecuniâ in futurum, ut fit in mutuo, ſed emitur jus ad penſionem annuam, quod jure communi computatur inter immobilia; itaque dicendum eſt contractum cenſualem non eſſe mutuum, ſed emptionem.

1. Quia in mutuo ex vi contractûs mutuans poteſt pro arbitrio, vel poſt certum tempus, ſortem repetere, hìc autem qui cenſum emit non poteſt pro libitu pecunias repetere.

2. In Mutuo totum periculum eſt Mutuatarii; hìc autem periculum non eſt ejus qui pecunias accipit, ſed Cenſualiſtæ; nam re, in quâ cenſus fundatur, pereunte, perit ipſe cenſus.

3. Alia eſt intentio contrahentium in cenſu & in mutuo; ſæpè autem pendet ab intentione, quòd unus contractus ſit uſurarius, alter non, & ex his patet ad id quod dictum eſt de cenſu redimibili.

Dices 2, Saltèm in emptione cenſûs non ſervatur æqualitas inter mercem & pretium; nam pretium æquivalet tantùm 20. v. g. penſionibus; penſiones autem futuræ ſunt v. g. 30. ſi cenſus duret ad 30 annos, 40. ſi duret ad 40. &c. & inſuper adhuc manet ſors integra; in cenſu autem perpetuo penſiones futuræ ſunt infinitæ,

R. N. aſſ. Quia licet pretium æquivaleat tantùm 20. penſionibus ſimul & ſemel brevi, & certò ſolvendis, æquivalet tamen pluribus ſolvendis

tantùm per partes & intervalla, & cum incertitudine, &c. idque vi ipſius contractûs. Neque hoc ſpeciale eſt emptioni cenſûs, quia quælibet res frugifera v. g. prædium, ſylvæ, paſcua &c. quæ quis ante 40. annos emerit, 6000. florenorum, jam retulerint lucrum multò majus, & tamen nemo dicet pretium fuiſſe inæquale, quia ſcilicet lucrum recipiendum erat per intervalla &c.

Q. 3. *An ſit etiam licitus cenſus perſonalis?*

Negant Navar. Mol. Rebel. Lugo, & alii multi Affir. Major, Conrad, Gabriel, Ioannes Medina, Sot. Leſſ. Malder, Layman, & alii recentiores communiſſimè, cum quibus.

R. affir. 1. quia ſicut in cenſu reali emitur jus ad penſiones ex re fructiferâ; ita in cenſu perſonali emitur jus ad penſiones ex perſonâ cenſuarii, quæ eatenùs eſt fructifera, quatenùs labore & induſtriâ ſuâ poteſt ex operis, & bonis ſuis lucrum facere.

2. Quia talis eſt praxis quotidiana per Galliam, Germaniam, Belgium, etiam inter timoratos; qui non facilè damnandi ſunt, niſi appareat ratio evidens in contrarium; qualis hîc non apparet.

Dices Saltèm ejuſmodi contractus erit uſurarius, ſi perſona cenſuarii nullam habeat lucrandi induſtriam, qualis eſſet v. g. vetula, nobilis, ægra &c.

R. Vix dari poſſe perſonam quæ habens aliqua bona non cenſeatur habere induſtriam lucrandi ex illis ſaltèm per alios, imò etiam per ſe, ſaltèm per parcimoniam:

Alia quæ contra hanc & præcedentem reſolutionem ſolent objici, ſoluta reperies apud Scholaſticos.

Q. 4. *An licitus ſit cenſus ad tempus, ſive realis, ſive perſonalis?*

R. 1. Cenſus vitalitius tam perſonalis quàm

realis eſt licitus, modò ematur eo pretio quod lege aut conſuetudine taxatum eſt, niſi illud eſſet evidenter injuſtum, quia ſuppoſitâ cenſuum honeſtate, non eſt ratio cur hîc non ſit licitus, cùm in eo uterque contrahens, æquale ſubeat periculum, tam ne penſiones non adæquent pretium, quàm ne illud ſuperent.

R. 2. Etiam licitus eſt cenſus tam perſonalis quàm realis ad tempus certum, v. g. 20. vel 30. annos, quamvis minoris ematur quàm ſit aggregatum penſionum ſperatarum. Covarr. Cajet. Leſſ. &c. contra Sot. Mol. Lugo &c. Sequitur ex antedictis: quia jus ad penſiones per longa intervalla recipiendas, non tantùm valet, quantùm cumulus omnium penſionum ſimul: ergo poteſt emi pretio minori, quàm valeant penſiones ſimul ſumptæ.

Adde quòd alioqui pluris emendus eſſet cenſus temporalis quàm perpetuus; qui tamen evidenter plùs valet; nam cenſus ad 30. annos, non poſſet minoris emi quàm 30., cùm tamen cenſus perpetuus ematur 20. aut etiam minoris.

Nota tamen ad hoc ut licitè conſtituatur talis cenſus, requiri ut ſit ad tempus notabile, alioqui enim cùm jus ad penſiones per exigua intervalla ad breve tempus recipiendas, morali judicio, ſeclusis extrinſecis, tantùm valeat, quantùm æqualis ſumma præſens, facilè committeretur uſura palliata, præſertim ſi ſit cenſus perſonalis.

Q. 5. *An cenſus utrimque redimibilis ſit licitus?*

Cenſus utrimque redimibilis dicitur qui redimi poteſt tùm ex parte venditoris, reſtitutâ emptori ſuâ pecuniâ, tùm ex parte emptoris, qui poſſit pro libitu ſuam pecuniam repetere, reſtituto iure quod emerat ad penſiones annuas. Licitum eſſe cenſum redimibilem ex parte venditoris facilè conceditur; ſed difficultas eſt pro cenſu redimibili etiam ex par-

te emptoris, quem multi volunt eſſe uſuram palliatam.

R. Quidam putant probabile cenſum utrimque redimibilem, ſaltèm ſpeculativè loquendo & ſpectato præciſè *jure naturæ* non eſſe illicitum, modò ſervetur æqualitas in pretio; quia ſicut emptio aliarum rerum cum pacto retrovenditionis in gratiam emptoris eſt licita, ut dictum eſt ſupra, ita videtur licita emptio cenſûs cum tali pacto retrovenditionis. Ita tenent Conrad. Medina. Valēt. Leſſ. Tanner. Laym. Malder. Wighers &c.

Dixi *ſaltem ſpeculativè loquendo* quia ut monent citati Doctores, talis contractus eſt in praxi periculoſus, & meritò à Rep. prohibendus, & à Confeſſariis omninò diſſuadendus ob annexam occaſionem palliandi uſuras, præſertim in cenſu perſonali.

Q. 6. *An poſſit apponi pactum ut Cenſus non poſſit redimi niſi eâdem monetâ quâ emptus fuit; item niſi redimatur totus ſimul?*

R. ad 1. Non poſſe, per ſe loquendo, niſi hoc onus quod contractui cenſuali eſt extrinſecum, compenſetur augmento pretii. Leſſ. & alii.

Ad 2. R. Affir. Ita enim fit in aliis venditionibus, puta agri, vineæ. &c. imò ſicut in his, etiam ſecluſo tali pacto non tenetur emptor agrum aut vineam redimibilem revendere per partes, ita neque hîc.

Quæ hactenus dicta ſunt de cenſibus, ſunt intelligenda ex rei naturâ & ſecundùm jus commune; nam Pius V. requirit varias conditiones, quæ omninò ſervandæ ſunt in iis locis in quibus recepta eſt ejus Bulla: illas conditiones vide apud Leſſ. l. 2. c. 22. dub. 12. qui eam Bullam in Belgio non eſſe receptam ibid. dub. 13. advertit.

CAPUT XV.

De Cambio.

Q. 1. *Quid Cambium & quotuplex?*

R. Cambium, ut hîc ſumitur, eſt permutatio pecuniæ pro pecuniâ. Is; à quo petitur ut pecuniam permutet, dicitur Campſor, qui petit Campſarius.

Dividitur in reale, quod eſt vera pecuniarum permutatio; & ſiccum ſeu fictum, quod eſt vera uſura habens ſpeciem cambii, ut cùm fingitur ſolutio alibi facienda quæ tamen fit eodem loco uſurariè.

Reale ſubdividitur in minutum & locale. Minutum eſt permutatio nummorum diverſæ rationis, ut aureorum cum argenteis &c.

Dicitur *Minutum*, quia in eo ferè permutantur majores nummi cum minutioribus. Dicitur aliter manuale, quia fit de manu ad manum.

Locale ſeu per litteras, eſt permutatio pecuniæ præſentis cum abſente, ut ſi pecuniam meam hîc præſentem commutem cum tuâ Pariſiis exiſtente; vel contra, tuam hîc præſentem commutes cum meâ exiſtente Pariſiis.

Q. 2. *An lucrum ex cambio minuto ſit licitum?*

R. Poteſt campſor ex cambio minuto juſtè aliquid lucrari, non tantùm titulo generali lucri ceſſantis &c. ſed etiam ſpecialibus quibuſdam titulis.

1. Ratione officii cambiendi, quod includit multa onera, ut conquirere varia genera monetarũ in gratiã cõmunitatis &c. Quod præſertim verum eſt, cum

id alicui demandatur à Principe ; quamvis etiam locum habeat in eo qui ſponte officium ſuſcipit.

2. Ratione laboris in numerandâ pecuniâ.

3. Ratione uſus generalioris, ut ſi pecunia cãpſoris ubique, etiam apud exteros valeat, campſarii autem tantùm certo loco.

4. Ratione commoditatis conſervandi, tranſferendi &c. ut contingit in nummis aureis pro argenteis.

5. Ratione antiquitatis, raritatis &c.

6. Ratione materiæ præſtantioris, ut ſi nummi campſoris ſint majoris ponderis, purioris materiæ, aptioris ad deaurandum &c. Quamvis enim quælibet pecunia ſuum habeat pretium certum, & legitimum in ratione nummi, ſive in ordine ad uſum primarium qui eſt eſſe menſuram rerum venalium, poteſt tamen una pecunia eſſe melior alterâ in ratione mercis, aut rei permutabilis ſive ſecundùm conditiones quas habet ſumpta materialiter, & in ordine ad uſus varios.

Nec refert quod etiam earum conditionum aliqua ratio habeatur à Principe in impoſitione pretii ; quia nec omnium haberi poteſt, nec tam exacta, ut ſemper ſit omnimoda æqualitas.

Dices : in hoc cambio campſor pluris vendit monetam ſuam, non quia ſibi commodiorem, aut in ſe meliorem, ſed quia commodiorem campſario : nam ſi unus petat monetam majorem v. g. auream pro argenteâ ; & paulò poſt alter petat minutiorem v. g. argenteam pro aureâ, campſor æquale lucrum ab utroque exiget : ergo campſario vendit commodum ſuum, quod non licet juxta illud axioma : *non poteſt alteri vendi ſuum commodum.*

R. Campſorem vendere intrinſecam commoditatem, quam abſtrahendo à quâvis perſonâ, habet illa ſpecies monetæ ad uſum à campſario intentum.

Unde ad iſtud axioma dico non licere alteri vendere ſuum commodum, ſi illud oriatur præciſè ex circumſtantiâ ſingulari propriâ huic homini: at id licere ſi commodum oriatur ex ipsâ rei materiâ, quæ nata ſit in his circumſtantiis, non huic homini ſoli, ſed & aliis commodum adferre, ut hîc contingit.

Q. 3. *An etiam ſit licitum lucrum ex Cambio locali.*

℟. Campſorem in cambio locali poſſe aliquid lucrari ratione realis, vel virtualis trajectionis pecuniæ. Cum enim hic contractus non involvat nudam permutationem pecuniæ, ſed etiam trajectionem ejus de loco in locum. cui trajectioni faciendæ campſor operam ſuam locat, ſuſcepto in ſe omni labore & periculo, æquum eſt, ut cãpſor lucrum aliquod inde referat,

Nec refert quòd ſubinde ſine labore & incommodo id faciat, imò ſæpè cum commodo ſuo: quia id tribuendum eſt bonæ ejus fortunæ & induſtriæ, cum reipsâ obligationem ſuſcipiat, cui ex rei naturâ labor, & periculum annexa ſunt.

Q. 4. *An licitum ſit Cambium Francofurtenſe, ſive ad nundinas?*

Cambium hoc ſic exercetur; campſario petenti cambium, campſor ſuam pecuniam numerat. v. g. Inſulis, eâ lege ut campſarius eandem in proximis nundinis rependat Francofurti, idque cum auctario eò majore, quò longiùs abſunt nundinæ, ſic ut numerans pecuniam tribus menſibus ante nundinas lucretur quatuor groſſos in florenum germanicum, qui eſt 80. groſſorum. Si quatuor menſibus, lucretur ſex & ſic deinceps. Hoc cambium dicitur Francofurtenſe non quòd, non poſſit æque exerceri reſpectu alterius civitatis, ſed quia francofurtum eſt locus celeberrimus ejuſmodi cambiorum ſolutioni aſſignari ſolitus, nempè ad

nundinas Francofurtenſes, quæ bis in anno celebrantur, ſemel ſub Paſcha, & ſemel ſub autumnum.

R. Cambium hoc ſumptum præcisè titulo cambii, & ſecluſis titulis extrinſecis lucri ceſſantis, damni emergentis, periculi ſortis. &c. eſſe illicitum & uſurarium plures tenent. Caiet. Sot. Suar. Valent. Rebell. Malder. Lugo. &c. quos citat & ſequitur Platellius.

1. Quia in eo nulla intervenit virtualis trajectio, aut locatio operæ ad tranſlationem.

2. Quia cum campſor tantò plus lucretur, quantò remotiores ſunt nundinæ, aliquid exigit ratione diſtantiæ temporalis, quod æque videtur uſurarium, ac ſecluſis extrinſecis, chirographa minoris emere quàm valeant, merces pluris vendere dilato pretio &c.

Alii tamen Mol. Leſſ Layman, Filiuc. &c. tenent poſſe excuſari, dicendo campſorem in hoc cambio lucrum accipere, non quidem titulo virtualis trajectionis, aut locationis operæ ad translationem, quæ hîc non intervenit, ſed titulo permutationis, aut emptionis quâ campſor florenum germanicum numerandum in nundinis emat præſenti pecuniâ. Cùm enim florenus germanicus ſpectatus per modum mercis vilior ſit in nundinis (ſcilicet jam peractis) non ſolùm quia abſens, ſed præſertim ob majorem eo tempore & loco pecuniæ abundantiam, quàm ſit Inſulis, fit ut campſor poſſit plùs recipere in nundinis: ut ſi quis emat lanas ſibi tradendas in vere, juſtè poteſt eas minoris emere, quàm valeant hieme; quia tempore quo vi contractûs ſunt tradendæ, multò minùs ſunt valituræ Quòd autem plùs lucri accipiatur quò remotiores ſunt nundinæ, conantur excuſare ex eo quòd ſicut in cæteris rebus venalibus multitudo, aut paucitas ementium, aut venden-

tium auget aut minuit rationem pretii : ita pro multitudine aut paucitate petentium ad cambium augeri poteſt, aut minui pretium cambii. Cùm ergo quò longiùs abſunt nundinæ, eò plures ſint, qui petant ad cambium, ſive qui velint vendere florenum germanicum in nundinis numerandum, pauciores autem quo viciniores ſunt nundinæ. Hinc videtur poſſe initio eſſe majus pretium cambii, ſive minoris emi poſſe florenus germanicus, & deinde ſenſim decreſcere.

Quidquid ſit de hâc ſpeculatione, hoc cambii genus, ſecluſis titulis extrinſecis omninò eſt in praxi diſſuadendum, ſaltèm ob periculum palliandæ uſuræ.

CAPUT XVI.

De Contractu Societatis.

Q. 1. *Quid ſit iſte Contractus?*

R. Societas, ut hîc ſumitur, eſt conventio duorum vel plurium ad conferendum aliquid in uſum, vel quæſtum communem. Ut ſi duo vel tres paciſcantur ut ſimul pecuniam, vel unus pecuniam, alter operam, aut inſtrumenta &c. conferat ad negotiationem communem ex quibus lucrum dividatur cum proportione.

Nota vi hujus contractûs, non ſolùm lucrum, ſed etiam periculum & damnum debere eſſe commune, ne aliàs ſit ſocietas leonina, ut vocant, in quâ eſt participatio lucri non damni, aut periculi. Excipe niſi damnum dolo, aut culpâ ſocii acciderit: nam ſocius ſocio tenetur de culpâ latâ &

levi, non de leviſſimâ.

Q. 2. *An in Societate licitus ſit Contractus triplex?*

Contractus triplex hîc dicitur quando quis cum ſocio ita paciſcitur, ut & capitale, quod ſocius contulerit, ſalvum præſtet, & pro majore lucro ſperato, reddat certum lucrum minus. Ut ſi pro duodecim florenis incertis quos ſocius ſperat, det illi novem. Hîc enim virtualiter continentur tres contractus. Unus principalis; ſcilicet contractus ſocietatis, & duo acceſſorii, ſcilicet aſſecurationis ſortis, & venditionis incerti lucri pro certo minori.

Tres ſunt hâc de re ſententiæ. Prima eſt non licere hos tres contractus cum uno & eodem, ſed tantùm cum diverſis. Sotus. Bannez. Rebel. poſt Abbatem & quoſdam alios.

Secunda licere etiam cum eodem non tamen conjunctìm ſed diſparatè. Cajet.

Tertia communior licere cum eodem etiam conjunctìm, modò ſervetur æqualitas prudentis arbitrio. Navar. Covarr., Valent., Mol., Tolet. & alii apud Leſſ. & plures alii apud Dianam p. 1. tract. 8. reſol. 30. cum quibus.

R. Licitus eſt contractus triplex in ſocietate, quamvis totum fiat cum eodem, & conjunctìm, ſive unico contractu qui tribus æquivaleat.

Prob. 1. pars: quia contractu ſocietatis jam inito, poſſum duos alios facere cum aliquo tertio qui non eſt in eâdem ſocietate, ut omnes fatentur: ergo etiam id poſſum cum uno ex ſociis: quia eo non obſtante adhuc verum erit quòd vi ſolius contractûs ſocietatis, tam ſim particeps damni quàm lucri: item quòd non obſtante aſſecuratione retineam partiale dominium ſortis totalis perinde ac ſi cum aliquo non ſocio contractus poſteriores feciſſem.

Prob. 2. pars quia ſive tres illi contractus, ſimul fiant, ſive ſeparatim, ſemper interveniunt tres tituli, nempe ſocietatis, venditionis, & aſſecurationis: ergo nihil refert ſive uno, ſive altero modo fiat. Porrò hic contractus dici poteſt innominatus. Do & facio, ut des & facias.

Dices: in tali contractu eſt participatio lucri, non damni aut periculi, quæ eſt ſocietas leonina, paſſim reprobata ut iniquiſſima. Hinc extat Bulla Sixti V. quæ incipit, *deteſtabilis*, in quâ Pontifex condemnat tamquam uſurarium, ſi in ſocietate detur aſſecuratio capitalis.

R. Societatem leoninam tunc ſolùm dici, quando ſic initur ut vi contractûs ſimplicis, unus ſentiat lucrum tantùm, & non damnum, quod hîc non fit, cùm ſit contractus virtualiter multiplex, in quo eſt quidem participatio lucri, non damni aut periculi, ſed hoc non oritur ex contractu ſocietatis præcisè, ſed ex contractu acceſſorio aſſecurationis.

Ad Bullam Sixti V. reſpondet Lugo diſp. 30. ſect. 4. Sixtum tantùm voluiſſe prohibere injuſtas conventiones, quas aliqui apponebant contractui ſocietatis, non autem eas quas paſſim approbant DD. Dici etiam poteſt hunc contractum ibi non damnari ut illicitum jure naturæ, ſed tantùm ex præſumptione uſuræ, quæ hoc pallio ſæpe tegitur, prohiberi; cùm Pontifex abſolutè non dicat eſſe, ſed in poſterùm cenſendum eſſe uſurarium, nempe vi ſuæ prohibitionis, & præſumptione in foro externo.

Adde eam bullam in Galliâ, Germaniâ, Belgio, & multis Italiæ locis in quibus maximè viget illa praxis, etiam inter timoratos, non eſſe receptam.

CAPUT XVII.

De Contractibus in quibus fortuna admiſcetur, aſſecuratione, ſponſione, ludo, ſorte.

Q. 1. *Quid Aſſecuratio & quid requiratur ut ſit licita?*

R. Aſſecuratio eſt contractus quo quis rei alienæ periculum in ſe ſuſcipit obligando ſe vel gratis, vel certo pretio ad eam compenſandam ſi pereat.

Ut aſſecuratio pro pretio ſit licita, requiritur 1. Ut verè ſubſit, vel credatur ſubeſſe periculum, ita ut reſpectu utriuſque ſit immixta fortuna. Hinc ſi conſtaret aſſecuranti merces v. g. jam perveniſſe ſalvas in portum, aut contra, conſtaret mercatori, eas periiſſe, pactum nullum eſſet, & tam hic quàm ille teneretur ad reſtitutionem.

2. Ut in pretio ſervetur æqualitas juxta æſtimationem periculi.

3. Ut interveniat bona fides, neque aſſecuratus idcircò minuat diligentiam, quam alioqui rebus ſuis eſſet adhibiturus.

Q. 2. *Quid Sponſio, & quâ ratione certare poſſit, qui certus eſt de rei veritate?*

R. Sponſio eſt contractus in quo duo de eventu, vel veritate alicujus rei certantes ſibi viciſſim aliquid ſpondent, ut ſit ejus, qui veritatem dixerit. Certum eſt hunc contractum eſſe licitum, quando utrimque eſt æquale periculum ſed difficultas eſt quando alteruter certus eſt de rei veritate. De quâ ſint ſequentia.

1. Si is qui certus eſt de rei veritate non diſſimulet

mulet, ſed alteri dicat ſe certò ſcire, & alter non credens nihilominus certare velit. Navar. Medina Rebel. Layman. Sanchez &c. affirmant poſſe certare; quia eo caſu cenſeri poteſt ineſſe tacita quædam donatio ex parte illius, qui nihilominùs certare vult. Negat Molinâ.

2. Si is, qui certus eſt, taceat, neque dicat ſe certò ſcire, neque etiam fraude utatur, ſimulando rem ſibi incertam eſſe, affirmant aliqui certare poſſe, & lucrum retinere in conſcientiâ. Malder. Sa. Et ut probabile defendunt Salas, & Tanner. Alii communiùs negant, volentes ſponſionem eſſe contractum onerosum, quo emitur ſpes lucrandi periculo perdendi; ad cujus proinde juſtitiam requirunt æqualitatem in ſpe & periculo.

3. Si is qui certus eſt, poſitivè ſimulet incertitudinem ut alterum inducat, illicitè contrahit, & tenetur ad reſtitutionem: quia dolo dat cauſam contractui.

Hâc occaſione quæri hîc ſolet. an ſi tres, aut plures concurrant pro obtinendo aliquo officio, poſſit quis, cum ſingulis certare, quòd non ſint illud adepturi. Ratio dubitandi eſt quod contra unicum poſſit perdere, & certò lucraturus ſit contra reliquos.

Reſpondetur probabile eſſe quòd poſſit: quia nonobſtante certitudine de lucrando contra plures; tamen ſingulæ ſponſiones involvunt incertitudinem. vide Dian. p. 4. tr. 4. Reſ 185. & p. 7. tr. 9. reſ. 64.

Q. 3. *Quid ludus ſumptus pro contractu, & quotuplex?*

R, Eſt contractus, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat quod uterque depoſuit. Alius eſt ludus alearum, quo nomine intelligitur omnis ludus qui magis fortunâ, quàm induſtriâ nititur, ut teſſerarum, taxillorum, chartarum &c.

M

Alius in quo eſt pro virtute, ſeu induſtriâ certamen, ut ſunt curſus, ſaltus, lucta, & alia ſimilia corporis & virtutis exercitamenta.

Q. 4. *Quæ conditiones requiruntur ut ludus ſit licitus?*

Suppono ludum etiam alearum eſſe licitum per ſe loquendo, & ſiſtendo in jure naturæ: quod addo, quia per accidens vitiari poteſt; & reſpectu quorumdam eſſe illicitus v.g. ob juramenta & blaſphemias, quibus occaſionem præbent aliqui ludi.

R. Ad hoc ut ludus ſit licitus, requiruntur hæ conditiones.

1. Ut liberè; non vi, metu, aut dolo ſuſcipiatur.

2. Ne inter ludendum fraus committatur.

3. Ut ſerventur quæ ex conventione, vel conſuetudine ſunt conſtituta.

4. Ut ſit aliqua paritas inter ludentes.

Q. 5. *An & quibus ludus alearum ſit prohibitus?*

R. Etſi jure communi tam Civili quàm Eccleſiaſtico ludus alearum tam Laïcis quàm Clericis, uti & ludus chartarum (quamvis hic, poſteriùs ad jura inventus ſit) & à Triden. ſeſſ. 22. c. 1. de reform. ſit Clericis prohibitus ſub gravibus pœnis, jura tamen iſta hoc tempore vix ullibi recepta ſunt, ſaltem ſub eo rigore quo ea intendere videntur. Ita Leſſ. l. 2. c, 26. & alii multi, unde Lugo, Diana & alii docent laïcos ita ludendo non peccare per ſe loquendo.

Quoad Clericos autem, cenſent Diana, Layman &c. non peccare graviter, niſi ſint publici aleatores, vel ludant ſæpe & cum ſcandalo, vel pro ſummâ immodicâ. Idem ſentit Lugo de Religioſis laxioribus apud quos tales ludi ſunt in uſu, ſi moderatè illis utantur: ſecùs de Religioſis apud quos viget diſciplina, & conſuetudo non utendi ejuſ-

modi ludis. Vide Sanchez l. 1. opuſcul. c. 8. dub. 20.

Q. 6. *Quibus caſibus ludo acquiſita reſtitui debeant?*

R. Sequentibus caſibus reſtitui debere in conſcientiâ, etiam ante omnem ſententiam.

1. Si victus non habeat rei proprietatem, nec permittebatur ſaltèm tantam ſummam ludendo alienare; ut ſæpe fit in Religioſis, filiis-familias &c. quando excedunt conſenſum etiam tacitum ſuorum Superiorum, aut Parentum. Si tamen Pupillus, aut etiam filius familias de ſuis propriis, quamvis ſine conſenſu luſerint, poſſunt qui vincunt faciliùs excuſari. Vide de his dicta ſupra.

2. Si victor, vi, minis, fraude, convitiis, ſimulatione imperitiæ &c. induxit alterum ad ludendum.

3. Si fraude aliquâ contra ludi leges uſus ſit. Aliquæ tamen deceptiones ſubinde permittuntur ludi legibus, de quibus Mol. diſp. 517. Sanchez dub. 12. qui tamen monent non licere v. g. ſuffurari chartam, aut ludere chartis, quas quis ſigno aliquo notaverit, aut aliunde agnoſcit: item neque eas occultâ fraude ſic componere, ut melior ſors tibi obveniat. Quare ut notat Mol. ibid. hoc ſenſu falſum eſt quod quidam uſurpant, luſus factos eſſe propter abuſus.

Q. 7. *An qui luſit creditò, & perdidit, teneatur ſolvere?*

R. Teneri, per ſe loquendo; quod addo, quia quibuſdam in locis, & nominatim in Caſtellâ ex quodam edicto Caroli V. omnis ludus, etiam honeſtus, in quo creditâ pecuniâ luditur; ipſo jure eſt irritus, ſaltem eatenus, ut perdens non teneatur ſolvere. Quamvis juxta Mol. Sanch. &c. victor poſſit ſolutum retinere.

Q. 8. *An ſciens ſe notabiliter alterum excedere in*

arte ludendi, poſſit lucrum retinere?

R. Etſi communiter negetur, de quo vide Tolet. l. 5. ſummæ c. 27. probabile tamen eſt poſſe, ſi fuerit ab altero provocatus, nec ſimulaverit imperitiam. Ratio eſt, quia in hoc contractu, qui eſt præmiativus, non debet ſervari omnimoda æqualitas; cùm communiter admittatur non debere reſtitui ſi unus alterum ſuperet non notabiliter. vide de his plura apud Leſſ. Mol. Salas. Sanch. Lugo &c.

Q. 9. *Quid ſunt ſortes diviſoriæ, & an ſint licitæ?*

Nota ſortes alias eſſe diviſorias (quæ ſolæ huc pertinent) alias conſultatorias, quibus Dei judicium inquiritur, & hæ communiter non ſunt licitæ, quia ſunt quædam Dei tentatio: ſubinde tamen ex ſpeciali Dei inſpiratione licent, ut quandò act. 1. v. 26. Apoſtoli Mathiam ſorte elegerunt in locum Judæ. Alias divinatorias, quando de re occultâ v. g. furto commiſſo, vel futuro eventu inquiritur. Et hæ ſuperſtitioſæ ſunt, & illicitæ, quia continent pactum ſaltem implicitum cum dæmone.

R. Sortes diviſoriæ ſunt quando de re aliquâ communi inter plures diſponitur, & decernitur quid cuique tribuendum ſit. Ad has reducuntur electoriæ, quando per ſortem quis eligitur ad aliquod officium, aut Beneficium.

Sortes diviſoriæ ſunt licitæ, modò abſit fraus, & ſervetur debita æqualitas. Electoriæ autem per ſe licitæ ſunt; at in Beneficiis Eccleſiaſticis non licent ex Capitulo *Eccleſiæ* de ſortilegiis: imò electio ſic facta nulla eſt. Cap. *quia propter* de Electione.

Q. 10. *An licitus ſit Contractus, quem Lotteriam vocant?*

Talis Contractus eſt cùm, pretio authoritate

publicâ taxato, emitur jus extrahendi ſchedulas cum ſpe lucri ex magno numero ſchedularum, quarum aliæ rem pretioſam, aliæ rem parvi pretii, aliæ nihil continent.

R. Licitum eſſe, modò abſit fraus, & conſtituatur congrua taxa ſingulis ſchedulis, habitâ proportione rerum quæ ſortibus committuntur: quâ de re ſolet Magiſtratus informari. Vide Delrio. l. 4. diſquiſitionum c. 4. q. 3.

CAPUT XVIII.

De Contractibus ſubſidiariis, Fide-juſſione, Pignore, Hypothecâ.

Contractus ſubſidiarii dicuntur, qui adhibentur ad ſecuritatem & ſubſidium alterius contractûs principalis. v. g. emptionis, donationis &c. quem neceſſariò ſupponunt vel jam factum, vel faciendum. Unde etiam dicuntur acceſſorii. Tres ſunt nempe Fide-juſſio, Pignus, Hypotheca.

Q. 1. *Quid Fide-juſſio, & quinam poſſint validè fide-jubere?*

R. Fide-juſſio eſt ſuſceptio obligationis alienæ in eventum quo alter eam non impleverit. Et hæc non ſolùm Fide-juſſorem obligat, ſed etiam ejus hæredes. Quòd ſi obligatio principalis ſit invalida, aut extinguatur, ceſſat etiam obligatio fide-juſſoria, quia *acceſſorium ſequitur principale.*

Poſſunt validè fide-jubere, per ſe loquendo, omnes qui poſſunt principaliter obligari & conveniri. Etiam Clerici poſſunt ex juſtâ causâ fide-jubere. Religioſi nonniſi cum conſenſu Prælati, & ma-

joris partis Capituli, ſaltem ſic, ut pro ipſis obligetur Monaſterium. Minor efficaciter obligatur fide-jubendo pro patre incarcerato; pro aliis aliquo modo naturaliter, ſic tamen ut ſemper ei competat reſtitutio in integrum. An & quomodò poſſit mulier fide jubere pro marito, vide apud Iuriſtas.

Q. 2. *Quid Pignus & Hypotheca?*

R. Ea ſumi tripliciter 1. Pro re quæ alteri obligata eſt ad ſecuritatem debiti, vel contractûs.

2. Pro contractu, quo res ad eandem ſecuritatem obligatur; & dicitur oppigneratio.

3. Pro jure quod reſultat ex oppigneratione.

Pignus & hypotheca, ſumpta propriè in eo differunt quòd pignus ſit res quæ reipsà traditur creditori, hypotheca verò nudâ conventione teneatur: ſumpta verò ſtrictiſſimè hoc inſuper addunt, quòd pignus ſit propriè rei mobilis, hypotheca rei immobilis. Alioquin iſta ſæpè ſumuntur pro eodem.

Q. 3. *Quotuplex Hypotheca:*

R. Alia eſt generalis omnium bonorum, alia particularis, ideſt, unius vel plurium rerum in ſpecie. Item alia expreſſa, quæ actu expreſſo hominis inducitur; alia tacita, quæ lege conſtituitur: ſic Bona tutoris vel curatoris ſunt hypothecata Pupillo vel Minori pro adminiſtratione bonorum; bona mariti pro dote uxoris &c.

Q. 4. *Quæ Bona hypothecæ ſubjici poſſint?*

R. Non ſolùm præſentia, ſed etiam futura; neque ſolùm res corporales, ſed etiam incorporales, ut jura, debita, actiones &c. Quædam tamen ſunt quæ jure prohibentur oppignerari, ut homo liber (qui tamen poteſt dari obſes in causâ belli) res ſacræ &c.

Q. 5. *Quænam ſint præferendæ quando plures hypothecæ ſuper eâdem re ſunt conſtitutæ?*

R. Quaſdam eſſe privilegiatas quæ cæteris etiam

antiquioribus præferuntur, ut hypotheca etiam tacita fiſci: item uxoris pro dote. &c. Inter non privilegiatas, quæ prior eſt tempore, potior eſt jure.

Adde in debitis generaliter præferri creditores hypothecarios, qui realem actionem habent, omnibus chirographariis, & habentibus tantùm actionem perſonalem.

Excipe tamen expenſas funeris moderatas, & quæ ob medicos, & teſtamenti confectionem, vel executionem debita ſunt, quibus ante omnia ſatisfaciendum eſt. Sed de his attendendæ locorum conſuetudines.

CAPUT XIX.

De ultimis voluntatibus.

Ultimæ voluntates hic dicuntur eæ diſpoſitiones quibus aliquis decernit quid rebus ſuis poſt mortem fieri velit. Tres ſunt earum ſpecies: Teſtamentum, Codicillus, & Donatio cauſâ mortis; ad quas revocantur legatum & fidei-commiſſum, quæ ſolent eſſe partes integrantes teſtamenti vel codicilli.

Q. 1. *An teſtamentum factum abſque ſolemnitate requiſitâ ſit validum in foro conſcientiæ?*

Quæ ſolemnitas requiratur ad valorem teſtamenti in foro externo pendet à variis juribus, & locorum conſuetudinibus, de quibus conſulendi juriſtæ. Hîc quæritur an teſtamentum factum abſque ejuſmodi ſolemnitate ſit validum in foro conſcientiæ?

R. 1. Teſtamentum ad cauſas pias factum abſque ejuſmodi ſolemnitate, validum eſt in conſcientiâ, modò habeat ea, quæ jure naturæ ſufficiunt ad translationē dominii. Ratio eſt, quia, quòd in ejuſmodi teſtamentis ſolemnibus requiratur teſtes, non eſt ad eorum validitatem in conſcientiâ, ſed ſolùm ad probationem eorum judiciariam, ut vitetur omnis falſitas & deceptio; quod autem dicimus de teſtamento, intelligendum etiam de aliis ultimis voluntatibus ſufficienter expreſſis abſque ſolemnitate.

Col. Si hæredi quomodocumque conſtet defunctum ſtatuiſſe ut aliquid detur in cauſas pias, eum ad id teneri in conſcientiâ, licet neque ſcripturâ, neque plurium teſtimonio id probetur. Si tamen defunctus tantùm dixerit ſe habere voluntatem relinquendi aliquid in certam cauſam piam, ſed de facto id non ordinârit, non tenebitur hæres niſi ex quâdam æquitate morali, quâ decet ſatisfieri pio deſiderio defuncti; præſertim ſi hæres amplam adeat hæreditatem: an autem, & quatenus parocho, vel confeſſario de voluntate defuncti teſtantibus credendum ſit, vide apud Layman l. 3. tr. 5. c. 2. n. 5.

R. 2. Teſtamentum ad cauſas profanas; ſi deſit juris ſolemnitas, neque eſt omninò invalidum; quaſi hæres ſic inſtitutus non poſſit in conſcientiâ adire hereditatem, aut illam retinere; neque eſt omninò firmum, ſed poteſt per hæredem ab inteſtato agi in judicio ad ejus reſciſſionem, & per ſententiam invalidari, etiam quoad conſcientiam. Ita Sot. Bannez Victoria, Valent. Laym. Tanner. Sanchez l. 4. opuſcul. c. 1. dub. 14. & quidam Iuriſtæ apud Covarr,

Hæc ſententia eſt media inter duas extremas, quarum prima docet ejuſmodi teſtamenta eſſe omninò invalida; adeóque hæredem ſic inſtitutum

teneri in conſcientiâ ad reſtitutionem faciendam hæredibus ab inteſtato. Ita Covarr, Vaſq. &c.

Altera ex adverſo docet ea teſtamenta eſſe omninò valida in conſcientiâ, & hęredem ab inteſtato, non poſſe hereditatem retinere, aut petere in judicio citra injuſtitiam, ſi ei conſtet hanc fuiſſe in reipsâ defuncti voluntatem. Ita Mol. Leſſ. Malder Filiuc. &c, quæ duæ ſententiæ etiam ſunt probabiles.

Prob. Reſponſio, quia in illâ facilè conciliantur jura in ſpeciem contraria: nam ex unâ parte admittitur obligatio naturalis, licet debilis & inefficax, qualem alibi admiſimus ex contractu inito ex metu, ex contractu pupilli &c. Ex alterâ autem commodè explicatur quomodo tale teſtamentum ſit jure nullum, habendum pro infecto, non tenere &c. nempe per ſententiam Iudicis, qui ex eo præcisè quòd deſint ſolemnitates, illud ex vi legum pro nullo habendum declarat, ejuſque efficaciam, quæcumque illa ſit, elidit.

Dices: ſic leges omnes civiles quoſdam contractus irritantes poterunt ita explicari, ut relinquant obligationem naturalem, ſed debilem.

℟. N. aſſump. ſed eæ tantùm quæ contractus ita irritant, ut ex ipſo jure, aut Doctorum interpretatione ſatis appareat relinqui naturalem obligationem ut hic ſit. Leges autem Eccleſiaſticæ, cùm ordinentur ad bonum animæ, habendæ ſunt pro abſolutè irritantibus etiam in conſcientiâ.

Q. 2. *An, & quomodò teſtamentum revocari poſſit?*

R. Revocari poſſe ad libitum teſtatoris; idque dupliciter.

1. Per factum teſtatoris contrarium, ut ſi teſtamentum ſcriptum laceret &c.

2. Per aliud teſtamentum ſubſequens. Imò ſi teſtator juraverit ſe non revocaturum, adhuc nihilo-

minùs validè revocari poteſt, etſi non licitè: quia nempe ex unâ parte adjunctum juramentum non mutat naturam teſtamenti de ſe revocabilis; & ex alterâ ſervandum eſt juramentum quod eſt de re licitâ.

Addo, etiam poſito quòd teſtator in ſuo teſtamento proteſtetur, ſi quid mutaverit; aut ſi quod aliud teſtamentum condiderit, nolle ſe illud valere, aut nunc pro tunc ſe illud irritare, adhuc nihilominùs revocari poſſe, modò tamen in poſteriori teſtamento addatur clauſula non tantùm revocatoria prioris teſtamenti, ſed etiam iſtius clauſulæ irritantis, ſaltem terminis generalibus. Sylveſter verbo, *teſtamentum.*

Q. 3. *Quinam Teſtamenta condere non poſſint?*

R. Iure naturæ teſtari non poſſunt qui carent uſu rationis, ut infantes, amentes, furioſi, niſi fortè in lucidis intervallis, ſed tunc probari debet uſos fuiſſe ratione dum teſtarentur.

Iure poſitivo teſtamentum condere non poſſunt. 1. Surdus ſimul & mutus à naturâ. 2. Impubes. 3. Filius-familias, etiam pubes, de quo ſupra. 4. Prodigus poſt interdictam adminiſtrationem; valet tamen teſtamentum priùs factum. 5. Servus. 6. Religioſus profeſſus; qui tamen teſtamentum à ſe ante Profeſſionem conditum, etiam poſtea interpretari poteſt.

Pro aliis videndæ locorum conſuetudines. Qui autem teſtamentum condere prohibentur, etiam arcentur à codicillo, fidei-commiſſo. &c. Quia nomine teſtamenti in talibus venit quælibet ultima voluntas. Eſt tamen quidpiam ſpeciale de donatione cauſâ mortis, de quâ infra.

An & quomodò Eccleſiaſtici teſtari poſſint de ſuis reditibus dictum eſt c. 3. q. 6.

Q. 4. *Quinam ex teſtamento Heredes inſtitui non poſſint?*

Quæſtio procedit potiſſimùm de Religioſis, & de illegitimis, de quibus

R. 1. Religioſi profeſſi Ordinis Minorum & Capucinorum, & eorum Monaſteria; item Religioſi Societatis JESU poſt ultima vota, non ſunt capaces ullius hæreditatis, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato; ita ut vel domus profeſſa, vel Collegium Societatis ſuccedere non poſſit in hæreditatem quamcumque relictam ſuo Religioſo in particulari poſt ultima ejus vota, ut expreſsè habetur p. 6. conſtit c. 2. §. 12.

Poſſunt tamen 1. ipſa Collegia ſecundùm ſe, & domus profeſſæ inſtitui hæredes; ſed hæ tenentur vendere bona immobilia quæ ſuæ habitationi & uſui non inſerviunt.

2. Poſſunt tam Franciſcanis quàm aliis relinqui legata, ſicut & alia donata, quæ etiam Societas JESU ratione ſuorum Profeſſorum in particulari accipere poteſt.

3. Religioſi quorumcumque aliorum Ordinum poſſunt inſtitui, non tantùm Legatarii, ſed etiam hæredes; ita tamen ut legatum & hæreditas Monaſterio acquiratur. Vide pro his Layman l. 3. tract. 5. c. 5. & nota multis locis (ut paſſim in Belgio) quoad poſtremum hoc punctum juri communi derogatum eſſe.

Quoad illegitimos, nota duo eſſe illegitimorum genera; alii enim dicuntur naturales, alii ſpurii. Naturales ſunt qui nati ſunt ex Parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis, nullum erat impedimentum dirimens. Spurii verò qui ex iis inter quos utroque tempore erat tale impedimentum, ratione cujus dicuntur naſci ex damnato coitu, ideſt, legibus punibili, ut ex adulterio, inceſtu &c. Naturales legitimantur per matrimonium ſubſequens, non ſpurii: hoc poſito.

R. 2. Spurius neque ab inteſtato, neque ex teſtamento, aut donatione causâ mortis, vel inter vivos, ſuccedere poteſt in ullam partem hæreditatis, ſive paternæ, ſive maternæ, etiam in foro conſcientiæ.

Dixi *ſive paternæ, ſive maternæ*, quia ſpurius poteſt inſtitui hæres ab alio, quàm à patre & matre, etiam ab eo quem pater & mater hæredem fecerit: modò tamen non interceſſerit pactum de hæreditate ſpurio tranſmittendâ; alioqui enim hæc fiſco adjudicatur. Poteſt tamen & debet ſpurio à parentibus aliquid relinqui ad alimenta, ſeu honeſtam ſuſtentationem juxtà ſuam conditionem: nam Ius Civile id prohibens, Iure Canonico correctum eſt; eſtque hoc ipſum jam uſu receptum in foro civili. Quare poteſt pater pro conditione ſuâ ſpurio donare, aut legare quidpiam, alimentorum nomine, Item filiæ ſpuriæ dotem conſtituere &c.

Filius naturalis poteſt à patre inſtitui hæres ex aſſe, ſeu univerſalis, ſi deficiant legitimi, & aſcendentes. Ei tamen iſto caſu non ſuccedit ab inteſtato, niſi ex ſextante, ſeu in duabus unciis &c. conſule Iuriſtas. Idem filius naturalis ſuccedit matri tum ex teſtamento tum ab inteſtato, pari jure cum legitimis.

Atque hæc de jure communi, cui contrariatur cõſuetudo variorum locorum: nam in Galliâ, & variis Belgii Provinciis, neutri parenti ab inteſtato, ſuccedunt Filii naturales.

Q. 5. *Quid ſubſtitutio, & quomodo inſtituatur?*

R. Subſtitutio eſt vocatio, ſeu conſtitutio unius vel plurium hæredum in locum alterius. Ex pluribus ejus ſpeciebus, duę potiſſimùm ſunt in uſu, nempe Fidei-commiſſaria, quâ quis fidei unius cõmittit, eumque gravat, ut hæreditatem, vel ejus partem alteri relinquat, vel abſolutè, vel ſub aliquâ conditione, v. g. ſi ei non naſcantur liberi

&c. & reciproca, quâ hæredes ſibi invicem ſubſtituuntur, ut ſi quis dicat: inſtituo hæredes Titium & Caium, & eos ſibi invicem ſubſtituo.

Nota, licet ſecundùm Ius commune poſſit teſtator ſubſtituere in infinitum, & quot volet gradus hæredum facere, in Belgio tamen, ex edicto, quod dicitur perpetuum, ſubſtitutiones, fidei-commiſſa, & alia ejuſmodi gravamina teſtamentariis diſpoſitionibus, aut aliis inter vivos appoſita, ſolùm habent effectum in tribus perſonis, comprehenſâ etiam primâ inſtitutione, ita ut poſtquam tres poſſederint, poſſit ipſe tertius diſponere abſolutè de iſtis bonis, perinde ac ſi non eſſent ſubſtituta. Excipiuntur tamen ſubſtitutiones Principatuum & Comitatuum factæ ad conſervationem alicujus domûs illuſtris, quæ etiamnum in perpetuum durant.

Q. 6. *Quinam dicuntur, & qui ſunt hæredes neceſſarii?*

R. Poſſe aliquem dici hæredem neceſſarium dupliciter.

1. Quia Neceſſariò admittit ſibi delatam hæreditatem. Talis eſt hæres ſuus, id eſt, filius, filia, nepos, neptiſve ex filio, qui moriente Patre; aut Avo, adhuc eſſent in eorum poteſtate.

2. Dicitur hæres neceſſarius, cui teſtator neceſſariò defert hæreditatem. Et hoc ſecundo modo communiùs accipitur hæres neceſſarius. Hæres autem non neceſſarius dicitur, ad quem non neceſſariò defertur hæreditas.

Hæredes neceſſarii hoc ſecundo ſenſu ſunt 1. deſcendentes teſtatoris, ideſt filii, filiæ, itemq; nepotes, aut neptes defunctum parentem repræſentantes.

2. His deficientibus, aſcendentes, ideſt, pater, mater, avus, aut avia teſtatoris.

Nota quibuſdam in locis non datur repræſentatio, ideſt, proles non repræſentat patrem, a-

deoque ſi pater filio habenti prolem ſupervivat, hæc proles non repræſentat patrem, nec recipiet quidquam ex avi bonis, niſi avus id ſpecialiter ſtatuat. Alibi verò datur repræſentatio, ita ut omnes proles ſimul ſumptæ repræſentent patrem, & veniant in portionem ipſi competentem.

Q. 7. *Quinam ſuccedant ab inteſtato, & quo ordine?*

Inteſtatus decedere dicitur, qui vel nullum condidit teſtamentum, vel nonniſi invalidum.

R. ſpectandas eſſe locorum conſuetudines, quæ pro varietate locorum variæ ſunt, tum à jure communi, tum à ſeipſis eâ in parte diſcrepantes. Iure communi 1. ſuccedunt deſcendẽtes. 2. Aſcendentes. 3. Collaterales &c. At quibuſdam locis collaterales præferuntur aſcendentibus, ſaltem quoad immobilia. Apud quoſdam repræſentatio non admittitur, ut in Hannoniâ & Arteſiâ, ſaltem quantum eſt ex conſuetudine generali Provinciæ &c.

Q. 8. *Quomodo acquiratur hæreditas?*

R. Acquiri dupliciter. 1. ipſo jure. 2. aditione, ſeu aliquo actu acquirentis illam acceptantis. Primi generis erant hæredes ſui, in quibus abſque ipſorum actu continuabatur bonorum defuncti dominium. Quod beneficium hodiernis moribus competit cuicumque hæredi ſaltèm proximo. Aditur autem hereditas, cum verbo, aut alio ſigno legitimè acceptatur. Item cum quis reipsà ſe gerit pro hærede, ſeu aliquid facit tamquàm hæres.

Nota quàm primùm hæres ſuus, hæreditati ſe immiſcuit, aut extraneus eam adivit, non ſolùm in omnia onera, aut commoda, ſed etiam in omnia jura, ſeu obligationes & debita defuncti ſuccedit: ita ut creditoribus, ſi ad id hæreditas non ſufficiat, de ſuo ſatisfacere teneatur, ſaltèm in foro externo. Si quis autem vereatur damnum

ex delatâ hæreditate ob onera illi annexa, duplex eſt juris remedium.

Primum eſt jus deliberandi an hæreditatem adire velit, an repudiare, quod durat per annum, aut novem menſes.

Alterum eſt beneficium inventarii, id eſt, authenticæ deſcriptionis omnium rerum quæ in hæreditate inveniuntur, vi cujus hæres non tenetur ad onera ultra vires hæreditatis. Pro utroque conſulendæ ſunt locorum conſuetudines.

Q. 9. *Quid Codicillus:*

R. Eſt velut complementum teſtamenti, quo aliquid additur, minuitur, explicatur &c.

Differt à teſtamento. 1. quòd codicillis hæres directè non inſtituatur; teſtamentum autem, ſaltèm antiquis moribus, non eſſet ſine directâ hæredis inſtitutione: quamquam hodie teſtamentum appellamus etiam illud, in quo ſolùm legatis relictis, nulla hæredis inſtitutio facta eſt.

2. Quòd plures codicilli modò ſibi invicem non contrarientur, poſſint eſſe validi, non plura teſtamenta.

Q. 10. *Quid Legatum; & varia ad illud pertinentia?*

R. Legatum eſt delibatio hæreditatis, quâ teſtator ex eo quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit. Breviùs, eſt donatio teſtamento relicta.

Circa Legatorum ſolutionem obſervanda ſunt hæc

1. Legatum purè. debetur ſtatim à morte teſtatoris, tranſmittiturque ad hæredes legatarii, ſi is moriatur antequam hæres adeat hæreditatem.

2. Si res legata ſit determinata in individuo, ut hic equus. iſte fundus &c. tranſit in dominium legatarii, hoc ipſo quòd hæreditas aditur; ſecùs ſi ſit tantùm determinata in quantitate & naturâ, ut 20. modii tritici, 100. floreni &c. tunc enim

acquiritur tantùm actio hypothecaria.

3. Legatum relictum ſub conditione non debetur ante impletam conditionem. Si tamen conditio ſit negativa, ſeu de non faciendo, putà, ſi Religionem non mutaverit; ſi hæreticorum conciones non adierit. &c. ſtatim peti poteſt, modò legatarius præſtet cautionem de re reſtituendâ cum ſuis fructibus caſu quo conditionem non impleverit.

4. Conditio impoſſibilis vel turpis adjecta legato, aut ultimæ voluntati habetur pro non adjectâ.

Notanda inſuper ſunt circa legatum ſequentia.

1. Quando Legatum impleri non poteſt, ſi erat ad cauſas profanas, redit ad hæredem; ſi ad cauſas pias, v. g. ad templum ædificandum &c. idque fieri non poſſit, debet expendi in alium uſum pium priori ſimilem (niſi expreſsè poſitum ſit, ut eo caſu ad hæredem redeat) quod etiam verum eſt, licèt hæres expreſsè dixerit ſe nolle in alium uſum converti.

2. Quamvis legatum pium multò utiliùs in ejuſdem cauſæ favorem expendi poſſit, quàm fuerat præſcriptum à teſtatore, non videtur tamen poſſe commutari abſque recurſu ad Pontificem, cum Trid. ſeſſ. 22. c. 6. de Reforma. requirat ut cauſa ſit juſta, & neceſſaria ad hoc ut fiant ejuſmodi commutationes: non igitur ſufficit ſola major utilitas, ut hoc poſſit etiam Epiſcopus.

Quòd ſi ſubſit neceſſitas, v. g. ſi quis aliquid legaverit pro certis ornamentis alicujus capellæ, & interim illa vel ex parte; vel ex toto corruat, neque aliundè reparari poſſit, probabile eſt Epiſcopum tunc poſſe commutare, quia legatum eo caſu fit moraliter impoſſibile.

Confirmatur: quia Triden. ſeſſ. 25. c. 4. concedit Epiſcopis ut in Synodo Diœceſanâ, item Abbatibus

batibus & Generalibus Ordinum ut in Capitulis generalibus, poſſint minuere numerum exceſſivum miſſarum fundatarum, eo quod moraliter ſit impoſſibile eas implere: ergo in caſu particulari, ubi erit moralis impoſſibilitas, idem etiam poterit Epiſcopus, præſertim cum ab eodem Tridentino ſeſſ. 22. c. 8. illi circa executionem piorum legatorum ſpecialis cura committatur.

3. Dùm aliquid legatur pauperibus, intelliguntur ii qui ſecundùm ſuum ſtatum verè indigent, & quidem cæteris paribus præferendi videntur.

1. Pauperes conſanguinei teſtatoris.

2. Pauperes loci ubi conditum eſt teſtamentum, vel ubi teſtator habitualiter habitabat.

3. Habenda eſt etiam ratio loci ubi maxima pars bonorum ſita eſt. Neque neceſſarium eſt ut ſemper eligantur pauperiores. Item intelliguntur Religioſi mendicantes.

Q. 5. *Quid Fidei-commiſſum?*

R. Fidei-commiſſum eſt quòd fidei hæredis à teſtatore committitur dandum alteri: eſt duplex, univerſale ſeu generale, in quo tota hæreditas committitur danda alteri; & particulare ſeu ſingulare, in quo tantum pars.

Cæterùm hodiernis moribus id omne vocatur Fidei-commiſſum, quod ita alteri relinquitur, ut non poſſit pro libitu de illo diſponere.

Q. 6 *Quid donatio causâ mortis?*

R. Eſt ea quæ fit in eventum mortis. Unde ante mortem ſemper revocari poteſt.

Differt ab aliis ultimis volũtatibus, quod ad hanc requiratur præſentia aut ſaltem acceptatio donatarii. Variis modis revocari poteſt.

1. Si Donatarius donatori præmoriatur.

2. Si hunc donaſſe pœnituerit.

3. Si facta ſit intuitu imminentis periculi; ut ſi laborans morbo gravi, aut proficiſcens ad præ-

N

lium, donarit in caſum ſecutæ mortis; tunc ceſſante periculo ceſſat donatio, niſi poſtea confirmetur: Cùm dubium eſt an ſit donatio inter vivos, an mortis causâ, cenſetur eſſe inter vivos, ſi fiat irrevocabiliter.

CAPUT XX.

De Injuriis, & neceſſariâ reſtitutione in genere.

Q. 1. *Quid injuria, & quid reſtitutio in genere?*
R. Injuria generaliter eſt voluntaria læſio, ſeu violatio juris alieni.

Dicitur *voluntaria*, quia eſt actus moralis: unde actio repugnans juri alterius ex ignorantiâ invincibili, aut aliunde involuntaria, non eſt injuria formaliter, ſed ſolùm materialiter, adeóque in foro interno ad nullam obligat ſatisfactionem; imò nec in externo, niſi ex præſumptione culpæ.

Per ly *Læſio*, intelligi debet actio externa (ſub quâ comprehenditur etiam omiſſio) quia voluntas merè interna lædendi jus alterius, licet ſit actus injuſtitiæ, non eſt propriè injuria, nec parit obligationem reſtituendi.

Reſtitutio eſt rei acceptæ redditio, vel damni illati compenſatio: eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti, juxta illud: *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Non eſt tamen neceſſaria neceſſitate medii, quia alias facienti quod in ſe eſt, ſæpe ſalus eſſet impoſſibilis, cùm ſæpè etiam volenti impoſſibile ſit reſtituere.

Itaque qui reſtitutionem inculpabiliter omittit, ſive ex ignorantiâ invincibili, ſive ex impoten-

tiâ phyſicâ, aut morali, non impeditur per hoc à ſalute, modò habeat verum propoſitum reſtituendi quando poterit, vel quantum poterit. Hinc falſa eſt opinio vulgi, putantis aliquem tamdiù cœlo excludi, quamdiù ejus debita, quæ ipſe defectu potentiæ, vel ex oblivione inculpabili in hâc vitâ non ſolvit, manent inſoluta.

Q. 2. *Ex quibus capitibus oriatur obligatio reſtituendi?*

R. generaliter oriri ex duplici capite, ſcilicet ratione rei acceptæ & ratione injuſtæ acceptionis. Eſt autem hoc diſcrimen inter iſta duo obligationis capita.

1. Qui tenetur ex re acceptâ tantùm, ſive ex re alienâ, quam bonâ fide putat eſſe ſuam, ſi eâ caſu, aut aliter pereat, ceſſat obligatio: ſecùs in eo, qui ex injuſtâ acceptione.

2. Qui tenetur tantùm ex rë acceptâ, tenetur tantùm ad fructùs extantes, vel quatenùs ex iis factus eſt ditior: at qui ex injuſtâ acceptione, tenetur ad fructus omnes acceptos, aut quos dominus erat percepturus.

3. Qui tenetur ex injuſtâ acceptione, tenetur etiam ad damna ſecuta, aut lucrum ceſſans, ei qui damnum paſſus eſt; non item qui tantùm ex re acceptâ.

In idem redit, ſi cum Layman ſtatuantur hæ duæ regulæ.

Prima menſura reſtitutionis faciendæ ratione rei acceptæ, eſt quantitas poſſeſſionis, id eſt, ut tantùm reſtituas, quantùm ex alienâ re poſſides, vel quantùm inde factus es ditior.

Secunda menſura reſtitutionis faciendæ ratione injuſtæ acceptionis, eſt quantitas alieni damni, ut nempe tantùm reſtituas, quantùm alter ex tuâ acceptione læſus eſt, ſive tu inde aliquid habeas, ſive non.

Q. 3. *An ex injuſtitiâ tantùm veniali oriatur obligatio reſtituendi & qualis ?*

R. 1. Si injuſtitia ſit venialis præcisè ob parvitatem materiæ, eſt obligatio reſtituendi ſub veniali; niſi is qui læſus eſt, præſumatur reſtitutionem remittere.

R. 2. Si materia ſit gravis, ſed injuſtitia ſit tantùm venialis, præcisè ex defectu advertentiæ vel deliberationis, tres ſunt ſententiæ:

Prima Soti, Malderi. Leſſii, Sa, Wighers, Lugo &c. docentium tali caſu nullam eſſe obligationem reſtituendi in conſcientiâ, nequidem ſub veniali. Ratio illorum eſt, quia ejuſmodi damnum ex quâdam animi inconſideratione, quæ vix vitari poteſt, proveniens, cenſetur quaſi fortuitò obvenire. Vide Lugo diſp. 8. ſect. 5.

Secunda eſt Mœracii, volentis etiam eò caſu eſſe obligationem ad integram reſtitutionem.

Tertia Mol. Rebell. Turrian. Layman &c. docentium oriri obligationem reſarciendi damnum, non tamen adæquatè, ſed ſolùm quoad partem aliquam majorem vel minorem pro quantitate culpæ: quòd ſi pars illa ſit in ſe notabilis, eſſe obligationem reſtituendi ſub mortali.

Hæc poſtrema videtur conformior rationi; quia ex unâ parte, cùm inveniatur injuria vera & formalis, æquius eſt illum ſentire damnum qui eſt nocens, & cauſa moralis damni, quam qui eſt innocens: ex alterâ verò nimis durum videtur obligare illum ad præſtandum integrè, & perfectè damnum, cujus ſolùm fuit cauſa imperfecta; & pro injuriâ levi in ratione injuriæ, imponere eandem obligationem, quam haberet ex culpâ abſolutè gravi.

CAPUT XXI.

De reſtitutione ratione rei acceptæ.

Q. 1. *Ad quid in genere teneatur Poſſeſſor bonæ fidei?*

R. 1. Si res aliena apud ullum extet, tenetur domino comparenti illam reſtituere, nec poteſt pro eâ datum à ſe pretium exigere, ſi eam ſibi, licèt bonâ fide emerit. Si tamen animo reſtituendi, exiguo pretio rem emerit, poteſt pretium à ſe datum exigere, tenetúrque rei dominus illud reddere: quia emptor eo caſu rem domini utiliter geſſit. Si tamen res empta ſit pluris quàm valeat, aut etiam tanti, eodem animo reſtituendi; non tenetur rei dominus reſtituere totum pretium, ſed ut ſummum (quod vult Leſſ.) eam partem, quam emptor impendere potuit gerendo utiliter negotium domini.

R. 2. Si rem bonâ fide conſumpſerit, aut alienaverit, non tenetur reſtituere, niſi quatenus ex eà factus eſt ditior.

R. 3. Si rem alienam quam à fure bonâ fide emerat, alteri bonâ fide vendidit, tenetur, domino comparente, contractum venditionis reſcindere, & pretium emptori refundere: quia quilibet venditor tenetur emptori ſuo de evictione; unde non ſatisfacit, ſi ſolùm ei cedat actionem adverſus furem, à quo priùs ipſe rem emit. Eſt communis contra Navarr. Si autem, domino rem ſuam repetente, is cui res vendita eſt, non reperiatur, non tenetur venditor bonæ fidei pretium acceptum, licet illud adhuc totum habeat, reſtituere.

Ita DD. communiter contra Bannez; cujus fundamentum eſt, quòd pretium ſuccedat in locum rei, & conſequenter debeat reſtitui loco illius, ſi adhuc extet.

Verùm negant alii pretium univerſaliter ſuccedere in locum rei, ſed in iis tantùm, quæ à Juriſtis vocantur *univerſalia*, ut in hæreditate, dote &c.

Quòd ſi poſſeſſor bonæ fidei rem alienam cariùs vendiderit quàm emerit, aut aliâ ratione factus ſit ditior, tenetur exceſſum illum reſtituere, niſi fortè ſit fructus induſtriæ.

Quòd ſi denique pretium rei furtivæ bonâ fide venditæ, donaverit Petro, neuter ad quidquam tenetur. Non ipſe, quia non eſt factus ditior: non Petrus, quia pretium quod alter illi dedit, non erat alienum, ſed ejus qui donavit, ſi nempe his per illud non erat factus ditior. Vide de his plura apud Lugo diſp. 17. ſect. 1.

Nota ea quæ dicta ſunt de reſtitutione rei furtivæ, eſſe etiam intelligenda de ejus fructibus, adeóq; non tantùm rem, ſed & rei fructus eſſe reſtituendos quatenus exſtant, vel poſſeſſor ex iis factus eſt ditior. Excipe fructus merè induſtriales, qui cùm non ſint rei, aut domini ipſius rei, ſed acquiſiti merâ induſtriâ poſſeſſoris, non ſunt reſtituendi.

Q. 2. *An qui bonâ fide rem alienam à fure accepit, poſſit eam furi, & non domino reſtituere?*

Satis conſtat rem furtivam gratuitò à fure acceptam debere reddi domino, non furi, niſi fortè moraliter certum ſit, furem redditurum domino; tunc enim poteſt reddi furi; imò expedit, ſi hâc ratione faciliùs poſſit conſuli ejus honori.

Difficultas eſt, quando res furtiva à fure accepta eſt titulo oneroſo, v. g. emptionis, nec poteſt pretium datum aliter recuperari quàm reddendo rem acceptam, an eo caſu poſſim rem furi

reddere, & recipere pretium, quamvis conſtet furem eam domino non reſtituturum.

R. Utramque ſententiam tum affirmativam, tum negativam eſſe ferè ex æquo probabilem, tum à ratione, tum ab authoritate. Affirmativam tenent, Navarr., Gabriel, Sylveſt., Angelus, Vaſq., Leſſ., Malder., Bonav., Turr., Lugo, Dicaſtillo &c. negativam, Covarr., Cajet., Sot. uterque, Medina, Mor., Mol., Layman &c.

Pro affirmativa, quæ benignior eſt, facit primò quòd non ſatis efficaciter probetur teneri innocentem cum tanto ſuo incommodo, quale eſt amiſſio pretii, rem alienam ita indemnem reddere, ut non poſſit illam in eo ſtatu, in quo erat ante, reſtituere.

2. Quia tali contractui cum fure inito error cauſâ dedit; ergo poteſt reſcindi ab eo, qui deceptus eſt.

Confirm. quia ſi pallium alienum è manibus furis acceperim, fur autem meum mihi tollat nec reddere velit, niſi reſtituam ipſi iſtud aliud, videor hoc poſſe facere, ut me reddam indemnem: ergo ſimiliter &c.

Quæ contra pro ſententiâ negante afferuntur, vide apud prædictos authores.

Nota tamen in hoc caſu non poſſe emptorem rem alienam alteri vendere ad ſe reddendum indemnem.

1. Quia iſta venditio eſſet injuſta, quandoquidem primus emptor acciperet pretium à ſecundo emptore pro re, cujus dominium in ipſum non transferret.

2. Quia eo caſu primus emptor non ſolùm haberet ſe permiſſivè, non continuando conſervare rem alienam in meliori ſtatu, ſed poſitivè eam conjiciendo in ſtatum deteriorem, illam tradendo alteri neſcienti, ut ſuppono, eſſe alienam, ac proinde non reddituro.

Q. 3. *Quid dicendum de emptore malæ fidei, qui ante ſciebat rem eſſe furtivam.*

R. Illum ſimpliciter obligari ad reſtitutionem domino faciendam, etiam cum jacturâ pretii, ratione injuſtæ acceptionis : eſt communis contra nonnullos, Angelum, Gabrielem, Malder., &c. qui putant etiam eo caſu poſſe reſcindi contractum, & rem furi reſtitui.

Q. 4 *An & cui reſtituenda ſint bona incerta ?*

Nota ea bona dici incerta, quæ ſunt ſub alicujus dominio, vel ſaltèm alicui debentur, qui tamen, etiam factâ diligenti inquiſitione, reſciri non poteſt. Unde differunt à derelictis, & vacantibus quæ carent domino. Sunt autem triplicia.

Quædam enim habentur ex delicto, ut ſi quis ex furto, uſurâ, aut alio iniquo contractu aliquid debeat, nec reſciri poſſit cui ſolvendum ſit.

Alia ex juſto contractu, ut ſi emptor ignotus, ſoluto tibi pretio rem emptam non repetat.

Alia denique ex fortunâ, ut quæ inventa ſunt.

Quæſtio hæc procedit de incertis ex delicto, vel ex licito contractu ; nam de inventis, & de bonis derelictis, aut vacantibus, ſufficienter dictum eſt ſupra c. 4.

R. 1. Bona incerta habita ex delicto reſtituenda ſunt in pauperes, aut pias cauſas. Quæ tamen obligatio, ut notant Leſſ. Malder. & alii, non eſt ex jure naturæ, ſed tantum ex jure poſitivo. Vide capitulum *cum tu* de uſuris. Ubi uſurarii, deficientibus creditoribus, jubentur reſtituere pauperibus

Nota illa non cenſeri incerta, quæ conſtat deberi cuipiam exiguæ communitati, v. g. pago, quem milites injuſtè ſpoliarunt ; tunc enim, ſi fiat reſtitutio, operâ Magiſtratûs aut Parochi, facienda erit in læſos ſecundùm eorum neceſſitatem & damnum.

R. 2. Bona incerta habita ex juſto contractu, ex communiſſimâ DD. ſententiâ & receptâ (ut ait Leſſ.) piorum conſuetudine, etiam ſunt expendenda in pauperes, vel cauſas pias. Quia tamen de iis non extat jus expreſſum, Petrus Navarra l. 4. de reſtitu. c. 2. n. 45. & ſeqq. putat ea retineri poſſe. Cujus ſententiam Malder. Leſſ. &c. cenſent non eſſe improbabilem.

Cæterùm ſi poſſeſſor ipſe ſit pauper, poteſt probabiliter ea ſibi applicare, ſaltem accedente judicio prudentis confeſſarii. Si tamen dominus poſtea comparuerit, tenetur rem reſtituere ſi adhuc extet, aut ſaltèm in quo ex eâ factus eſt ditior. Si alteri pauperi, aut piæ cauſæ, animo reſtituendi, applicuerit, ad nihil tenetur, etiamſi rem ex delicto acquiſierit. Modò tamen antea adhibuerit ſufficientem inquiſitionem; alioqui poſſet ad reſtitutionem teneri.

Q. 5. *Quid dicendum de iis qui per occulta & exigua damna v. g. per iniqua pondera &c. diu continuata grave damnum inferunt alicui communitati, v. g. civitati?*

R. Quamvis probabiliùs ſit eos teneri reſtituere ipſiſmet civibus, liberaliùs deinceps menſurando; tamen etiam probabile eſt ſatisfieri dando præciſè pauperibus.

De reſtitutione acceptorum ob turpem cauſam, patet ex dictis c. 6. §. 3. q. 1. ubi quæſitum eſt an contractus de re turpi ſit validus?

CAPUT XXII.

De reſtitutione ratione injuſtæ acceptionis, ſeu damnificationis.

Q. 1. *Ad quam reſtitutionem teneatur poſſeſſor malæ fidei?*

R. Teneri ad reſtitutionem rei ſi extet, aut ad ejus æſtimationem, ſi perierit, quantumvis caſu, & ſine ejus culpâ perierit; imò ſi apud dominum æquè erat peritura per injuriam alicujus tertii, tenetur nihilominùs ad ejus æſtimationem, quomodocumque apud ipſum perierit: quia præveniendo iſtius tertii injuſtitiam ſuſcepit in ſe obligationem quam iſte tertius incurriſſet.

Hinc non excuſantur milites, qui ruſticos ſpoliant hoc prætextu, quod perinde ab aliis eſſent ſpoliandi.

Quòd ſi res caſu perierit apud iniquum poſſeſſorem, eodem modo abſque ullius injuſtitia, certò peritura apud dominum, probabile eſt ad nihil teneri, ſaltèm in conſcientiâ, & ante Judicis ſententiam. Navarr. Covarr. Leſſ. &c. contra Paludanum.

Similiter probabile eſt furem ad nihil obligari, licet ſciens & volens rem conſumpſerit eo loco, & intra illud tempus, quo citra injuſtitiam res erat certò peritura. Ut ſi abſumat vinum aut triticum &c. quod mox incendio fortuito periturum eſt, ſi interficiat pecus quod juſtus hoſtis mox eſt abducturus &c. Ita Vaſq. Mœrac. Amic. & alii. Ratio eſt, quia res in iis circumſtantiis nullius pretii eſt domino, adeóque non ei infertur damnum per ejus diſtractionem. Sed quid ſi fur neſcierit rem

domino perituram citra ejus injuriam, poſtea autem deprehendatur eam certò perituram fuiſſe.

Reſpondet Lugo diſp. 18. n. 143. furem teneri ad reſtitutionem: quia cùm ignoraretur communiter (ut ſupponit) certum rei periculum, conſequenter res quam fur conſumpſit, tantum domino valebat, atque ſi periculum abfuiſſet: alii tamen probabiliter tenent etiam eo caſu furem non teneri reſtituere; quia licet eo caſu res domino tantùm valeret, quaſi in actu primo; cùm tamen dominus non fuerit ea uſurus, ut ſupponitur, utpote peritura, non valuit illi tantum in actu ſecundo, ſive in effectu, ideoque fur non fuit illi cauſa efficax damni in actu ſecundo.

Dixi *probabile eſt, &c.* quia oppoſitum, quod tenent Sot. Petrus Navarra, Layman &c. eſt etiam valde probabile, præſertim ſi fur neſciverit rem æquè domino perituram: quia ad ſuſcipiendam obligationem reſtitutionis videtur ſufficere quod abſolutè & ſimpliciter fuerit cauſa deſtructionis rei voluntaria, & injuſta.

Dixi etiam *eo loco & intra illud tempus &c.* quia ſi rem apud dominum perituram, fur in alium locum tranſtulerit ubi non periiſſet, eamque ibi conſumpſerit, tenetur ad rei æſtimationem: cùm enim in eo ſtatu conſumpſerit, in quo erat domino alicujus pretii, fuit domino cauſa efficax damni: idem dicendum ſi tranſacto tempore quo apud dominum erat peritura, fueris in morâ reſtituendi, & apud te, etiam fortuitò perierit: qui enim rem alienam injuſtè detinet, ſuo damno detinet.

Q. 2. *An reſtitutio ratione injuſtæ acceptionis facienda ſit ſecundùm optimum ſtatum, quem res habuit?*

R. 1. Si res ſit meliorata, ſive intrinſecè & in ſubſtantiâ, ut ſi equus factus ſit robuſtior &c. ſive extrinſecè & in valore, ut ſi auctum ſit ejus pretium

ob majorem emptorum multitudinem, & in tali ſtatu res extet apud poſſeſſorem malæ fidei, reſtituenda eſt cum omni melioratione ſuâ.

R. 2. Si res apud injuſtum poſſeſſorem facta ſit deterior, ſive ejus culpâ, ſive etiam ipsâ temporis morâ, tenetur illam reſtituere ſecundùm ſtatum optimum quem habuit, ſaltèm ſi dominus erat eâ uſurus in illo optimo ſtatu, ſive vendendo, ſive locando &c. ſive ad proprium commodum, oblectationem &c. unde ſi equum juvenem furatus fueris, & is apud te ſenuerit, non ſufficit eum ita reddere domino, ſed reſtituendus eſt alius æquivalens, vel ſaltèm addenda compenſatio juxta quantitatem deterioritatis.

R. 3. Si res furtiva apud injuſtum poſſeſſorem melioretur, & deinde ad eundem ſtatum redeat in quo erat, dum fur eam abſtulit, reſtituenda eſt ſecundùm optimum ſtatum quem habuit, adjecto pretio meliorationis, ſaltèm ſi dominus eâ uſurus erat ſecundùm valorem illius ſtatûs, caſu quo tunc fuiſſet ei reſtituta.

R. 4. Si apud dominum res melioranda erat, quamvis apud injuſtum poſſeſſorem non ſit meliorata, reſtituenda eſt ſecundùm optimum ſtatum in quo dominus erat eâ uſurus. Deductis tamen expenſis quas dominus facturus erat ad procurandam meliorationem. Ratio hujus, & prædictorum eſt, quod hæc neceſſaria ſint ad domini indemnitatem.

R. 5. Si fur rem melioratam vendidit in ſuo optimo ſtatu, tenetur reſtituere pretium quod accepit: v. g. qui vitulum furtivum nutrivit uſque dum fieret bos, & tunc vendidit, tenetur reſtituere pretium non vituli, ſed bovis, deductis tamen alimentis. Si tamen dominus non erat rem ſuam melioraturus, nec eâ uſurus ſecundùm optimum ſtatum, non videtur fur teneri ad pretium quo

vendidit, ſed ad valorem quem res habebat tempore quo illam accepit, vel quem habuiſſet tempore quo dominus erat uſurus.

Q. 3. *An & quos fructus teneatur reſtituere poſſeſſor malæ fidei ?*

R. Tenetur reſtituere omnes fructus rei perceptos tum naturales tum mixtos, ideſt, partìm à re, partìm ab induſtriâ provenientes, etiam non extantes, & quamvis dominus non eſſet eos percepturus: tenetur etiam reſtituere fructus non perceptos, quos dominus ſuâ induſtriâ erat percepturus; item eos quos ex re à ſe melioratâ neglexit poſtea percipere, ſed dominus percepturus erat, ſi rem recepiſſet cum ſuâ illâ melioratione; ſequitur ex antedictis.

CAPUT XXIII.

De cooperantibus ad damnum injuſtum.

Novem ſunt modi cooperandi ad alterius damnum his verſibus expreſſi.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

1. *Juſſio*, ideſt mandatum datum ſive à ſuperiore, ſive non ſuperiore.

2. *Conſilium*, quo nomine intelligitur omnis ſuaſio, ſive per rationes propoſitas, ſive per adhortationes, preces, promiſſa &c.

3. *Conſenſus*, per quem intelligitur efficax approbatio damni alteri inferendi.

4. *Palpo* ſeu adulator, qui adulatione, laudatio-

ne &c. alterum excitat ad damnum inferendum.

5. *Recurſus* ſeu favor malefactori datus, ut dum quis furem domi ſuæ recipit, ejus furta aut inſtrumenta occultat.

6. *Participans*, ideſt, qui partialiter ad damnum inferendum concurrit, vel partem lucri percipit.

7. *Mutus*, ideſt, qui cùm poſſit, & teneatur verbo vel clamore damnificationem impedire, id non facit.

8. *Non-obſtans*, ideſt qui negligit ferre ſubſidium damnificato, ad quod ex juſtitiâ tenetur.

9. *Non manifeſtans*, ideſt, qui poſt factum damnum non monet dominum nec declarat damnificatorem, aut etiam qui damnificatorem non monet de obligatione reſtituendi, ſi ad id teneatur ex officio.

Ex his novem modis ſex priores ſunt poſitivi, quia important actionem, ſeu poſitivum influxum; & quidem quatuor primi important cooperationem moralem, duo alii phyſicam. Tres poſteriores ſunt negativi, quia important negationem actionis, ſeu non impedimentum.

Q. 1. *Ad quid tenentur, qui poſitivè cooperantur ad damnum alterius injuſtum?*

R. 1. Generaliter, qui ſic cooperantur ad damnum alterius, ut poſitâ ſuâ cooperatione ſequatur totum damnum, eâ ſublatâ, nullum, tenentur ad totum damnum in defectum furis. Exemplum eſt in eo, qui furi murum conſcendenti ſuccollat, ſcalas ſubminiſtrat &c. ſine quibus fur non conſcenderet, nec furaretur.

Quod ſi ſeclusâ tuâ cooperatione, idem nihilominus damnum ſecutum fuiſſet, licèt difficiliùs & tardiùs, putant aliqui te non teneri, niſi pro ratione influxus partialis quem contuliſti, Gabriel, Sylveſt. Navar. &c. Oppoſitum tamen

ſentiunt. Vaſq. Mol. &c. quod, inquit Leſſ. in praxi eſt tenendum, quia obligationem iſtam meretur talium cooperatorum nequitia.

Notanda hîc eſt hæc propoſitio damnata ab Innocentio XI. *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter juvat herum ſuum aſcendere per feneſtram ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.* Item hæc: *qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.*

Coll. 1. dum plures unanimi conſenſu & adhortatione villam ſpoliant, ſi uno ex eis diſcedente, vel non cooperante, reliqui non auderent damnum inferre, ſinguli tenentur in totum. Si verò ſingulis diſtributivè non cooperantibus, totum nihilominus damnum à reliquis inferatur, juxta DD. paulò ante citatos, ſinguli tantum tenentur pro ratione influxus; ſecundum alios ad totum.

Coll. 2. eum qui poſt completum numerum ſuffragiorum ad injuſtam ſentētiam vel electionem, ſuum adjungit, probabiliter non teneri ad reſtitutionem (etſi mortaliter peccet) niſi ſpes fuerit contrario ſuffragio poſſe malum impediri. Ita Navar. Caiet. apud Leſſ. quod etiam extendunt ad illum, qui ignorabat ſuum ſuffragium eſſe ſuperfluum; quia ignorantia illa non facit, ut fuerit cauſa damni. Si tamen tuum ſuffragium ante contuliſti quam eſſet ſufficiens numerus, cauſæ iniquæ ſuffragatus, teneris ad reſtitutionem, etſi certò ſciveris ſequentes in eandem partem conceſſuros Ita Leſſ. poſt Cajet.

R. 1. in particulari de cooperantibus poſitivè dicenda ſunt ſequentia.

1. mandans, cum ſit cauſa præcipua, tenetur ante omnes de toto damno: ſufficit autem mandatum tacitum, ut ſi dominus coram ſubdito declaret hoc ſibi obſequium gratum fore. Non ſufficit tamen ratihabitio, qua poſt patratum in ſui gratiam crimen, ſed abſque ullo prævio mandato, illud approbat tamquam ſibi gratum. Quod ſi mandans, ante executionem mandatum revocet, ad nihil tenetur, dummodò id mandatario innoteſcat;

2. conſulens, ſi tantum precibus, promiſſis &c. damnum alterius ſuaſerit, ſed ante damni illationem dicta revocaverit ad nihil tenetur. At ſi ſuaſerit oſtendendo utilitatem, facilitatem, &c. non ſufficiet conſilium revocaſſe: ſed ſi alter inductus ejus rationibus pergat facinus exequi, adhuc tenetur conſulens de damno ſecuto. Nonnulli tamen putant probabile eſſe, etiam ſic conſulentem non teneri, modò ante factum diſſuaſerit quantùm potuit.

Nota eum qui conſuluit inferri alicui minus damnum, ne eidem majus inferatur, ad nihil teneri, quia utiliter gerit negotium domini: ſecùs ſi conſulat ut malum etiam minus inferatur alicui tertio. Quòd ſi quis determinato furari 100. ſuadeat ut furetur 200. probabile eſt ſolum teneri ad 100. licèt aliqui diſſentiant.

3. conſentiens, id eſt, is cujus conſenſus vel ſuffragium requiritur, ut res aliqua fiat cum injuſto alterius damno v. g. ut bellum indicatur &c. tenetur de toto damno, ſi abſque ejus conſenſu damnum non erat inferendum.

4 de palpone ſeu adulatore idem dicendum cum proportione ac de conſulente.

5. is qui ad ſe dat recurſum, tenetur ad reſtitutionem totius damni, dum ſuâ protectione eſt cauſa, non per accidens ſed per ſe, cur damnum jam

jam factum non reſtituatur, vel novum committatur.

Dicitur autem *cauſa per ſe*, ſi ſcienter, & abſque juſtâ causâ id faciat, non aliter. Hinc poteſt aliquis licitè furem, ejuſque inſtrumenta occultare

1. dum à liſtoribus quæritur, licet inde ſumat occaſionem non reſtituendi; quia cum ille licitè fugiat, & ſe, ſuaque occultet, ut pænam vitet, poteſt in iis illum juvare.

2. Si fur metum tibi inferat, niſi illum recipias &c.

6. Participans dupliciter accipi poteſt. 1. pro eo qui particeps eſt prædæ, vel lucri ex alterius damno percepti. Talis tenetur pro eâ parte, quæ ipſi obvenit.

2. Pro eo qui particeps eſt injuſtæ acceptionis, aut damnificationis, adjuvando ad ipſam executionem: ut qui ſcalam furi applicat aut tenet, qui agit excubias, inſtrumenta ſuppeditat &c. & hic tenetur etiam in ſolidum.

Excipe 1. Niſi alter æquè damnum intuliſſet abſque auxilio tuo non neceſſario.

2. Niſi Auxiliator metu gravis mali compellatur facere, quod alioqui de ſe eſt indifferens, ut ſi ruſtici injuſtas prædas militum cogantur evehere, pecus furtivum deducere &c. ſic communiter excuſantur Chriſtiani remiges, qui vi, aut metu coacti in navibus turcicis navigant contra Chriſtianos, niſi ex remigatione tam magnum periculum immineat Rei-publicæ Chriſtianæ, ut præponderet periculo propriæ vitæ.

Q. 2. *Ad quid teneantur cooperantes negativè*;

R. Obligari ad reſtitutionem, ſi tenebantur ex juſtitiâ impedire damnum, ſecus ſi ſolum tenebatur ex charitate. Poteſt autem quis obligari ex juſtitiâ, vel ratione officii, ut Princeps, magiſ-

tratus &c. Si cum poſſint omittant impedire latrocinia, &c. vel ex contractu aut quaſi contractu, ut tutores & curatores quoad damna pupillorum & minorum; famuli, quibus aliqua adminiſtratio credita eſt. Item cuſtodes pecorum, vinearum ſylvarum, &c. collectores gabellarum, & ii, quibus incumbit cura ne merces, vinum, cerevisia, &c. aſportentur ſine vectigali.

Q. 3. *An cooperantes teneantur omnes in ſolidum & quo ordine?*

R. 1. Qui ita cooperantur ut ſint cauſa efficax totius damni, tenentur in ſolidum, hoc eſt ad totum ſolvendum, non abſolutè, ſed velut conditionatè, & in defectum ſociorum: qui vero ſic cooperantur, ut tantum ſint cauſa partis; ſolùm tenentur pro parte.

Hinc 1. tenentur in ſolidum milites, & ſimiles, qui communi conſilio, & ſe invicem hortando & animando injuſtè ſpoliant domum, pagum, oppidum &c.

2. Tenentur pro parte qui ſolùm participant de prædâ injuſtâ jam captâ, ut ſi quis à fure invitatus ſciens & volens rei furtivæ partem abſumit. Item qui independenter ab invicem colligunt fructus, conculcant ſata, vel etiam domum ſpoliant, quamvis fortè eodem tempore, & eâdem occaſione id fiat.

R. 2. Ex iis qui tenentur in ſolidum, alii tenentur primariò & principaliter, alii ſecundariò & minùs principaliter. Si is qui obligatur principaliter, damnum ipſe reſtituat, vel condonationem à domino obtineat, cæteri omnes liberi ſunt. Si autem unus ex iis qui ſecundariò obligantur, totum reſtituerit, habet jus repetendi ab obligato principaliter, & in ejus defectum, ab aliis ſecundariò obligantis pro ratâ, aut etiam à quovis illorum in aliorum defectum.

R. 3. Inter obligatos in ſolidum hic ordo ſervandus eſt.

1. Ante omnes tenetur is apud quem res eſt in ſe, vel in æquivalenti.

2. Mandans, vel qui fraude, vi, aut minis induxit.

3. Executor; qui licèt reſpectu præcedentium ſit cauſa ſecundaria, reſpectu tamen ſubſequentium, eſt principalis; In horum defectum tenentur cæteræ cauſæ ſecundariæ poſitivæ, & probabiliter nullo inter ſe ordine, ac denique cooperantes negativè.

Q. 4. *Ad quid teneatur impediens alium à conſecutione alicujus boni?*

R. 1. Qui voluntariè aliquem impedit à conſecutione rei, quæ ipſi ex juſtitiâ debetur, tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti.

2. Qui ſive vi, aut fraude aliquem impedit, nè conſequatur id quod ipſi ex liberâ alterius voluntate conferendum erat, non tenetur ad reſtitutionem, quia cùm collator ad id non obligetur ex juſtitiâ, poſſitque citra injuriam mutare voluntatem, nullam injuriam alteri facit, qui conſilio aut precibus eum ad animi mutationem inducit. Nec refert quod fortè ex odio id fecerit, quia violatio ſolius charitatis non inducit obligationem reſtitutionis.

3. Qui tamen per vim, fraudem, calumniam, &c. aliquem impedit à conſecutione talis boni, v. g. alicujus beneficii, aut officii, compenſare debet arbitrio prudentis, juxta certitudinem aut probabilitatem, quâ erat tale bonum conſecuturus. Quia quamvis alter non habeat jus, ut iſtud beneficium vel officium ei conferatur, habet tamen jus, nè ab illo conſequendo, viis obliquis, putà fraude, calumniâ &c. impediatur.

O ij

CAPUT XXIV.

De aliis ſpectantibus ad reſtitutionem in genere.

Q. 1. *Quando, ubi, cujus expenſis & periculo facienda ſit reſtitutio?*

R. 1. facienda eſt ſtatim, quantùm moraliter fieri poteſt; quia hoc præceptum in re eſt negativum, nempe non retinendi rem alienam invito domino, adeòque obligat ſemper pro ſemper. Si quis tamen habens certum propoſitum reſtituendi, reſtitutionem aliquo tempore non longo differat citra magnum incommodum domini, non erit facilè damnandus peccati mortalis, imò nec venialis, ſi adſit juſta cauſa differendi, puta, quia expectat commodiorem occaſionem id faciendi. Hinc qui culpabiliter differt reſtitutionem, non tantùm eſt in peccato habituali, ſicut qui eſt in peccato non condonato, ſed continuò peccat actualiter; quamvis cenſendum ſit unum moraliter peccatum quamdiu non revocatur voluntas non reſtituendi. Vide Lugo de pœnit. diſp. 16. n. 549.

R. 2. Poſſeſſor malæ fidei debet rem, ubicumque extet, reſtituere ſuis ſumptibus, eo loco quo dominus eam eſſet poſſeſſurus, ſi non eſſet ablata. Ratio eſt, quia dominus debet ſervari indemnis. Si tamen ad rem domino reddendam requiratur multò majores expenſæ quàm res valeat v. g. in caſu quo dominus multùm diſtet, ſufficiet tranſmittere pretium rei, aut compenſare in æquivalenti; eſſet enim irrationabile, ſi dominus vellet cum tanto

incommodo rem ſibi reſtitui in ſpecie, præſertim quando non magni ejus intereſt.

R. 3. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ullas ſubire expenſas pro reſtitutione, ſed ſufficit ſi rem repræſentet eo loco quo illam poſſidet: quia cum nullam injuſtitiam commiſerit, nec tenetur damnum ſubire, nec dominum ſervare indemnem.

R. 4. Reſtitutio, quæ fit à poſſeſſore bonæ fidei, fit periculo creditoris; modo poſſeſſor arbitrio boni viri prudenter proceſſerit in eâ faciendâ. Reſtitutio autem quæ fit à poſſeſſore malæ fidei, fit periculo reſtituentis. Sequitur ex dictis.

Coll. poſſeſſorem malæ fidei ſi, etiam factâ diligentiâ, rem tradat vel nuntio quem credit fidelem, vel etiam confeſſario, domino reſtituendam, & hi ſive culpatè, ſive inculpatè rem domino non reddant, adhuc teneri ad reſtitutionem.

Q. 2. *Quo ordine ſit reſtituendum, quando debitor non eſt ſufficiens ad ſolvendum omne debitum?*

R. 1. Quando res aliena extat in ſpecie, reſtituenda eſt domino: quia creditores non habent jus ut ſibi ſolvatur ex bonis alienis; ſed ſolùm ex bonis debitoris. Hinc ſi ignoretur dominus rei extantis in ſpecie, videtur priùs applicanda pauperibus, vel cauſis piis, quam ſatisfiat creditoribus.

R. 2. Poſt expenſas in funus, medicos, inventarium &c. ſolvendum eſt creditoribus habentibus hypothecam, de quâ ſupra.

R. 3. Debita titulo oneroſo præferũtur debitis titulo gratuito v. g. promiſſionis, in quâ ſubintelligi debet hæc conditio: ſi abſque tertii præjudicio fieri poſſit,

R. 4. Inter creditores merè perſonales præferendi ſunt quidam privilegiati ut Reſpublica, ſponſa pro dote traditâ non ſecuto matrimonio &c. reliquis autem ſolutio facienda eſt pro ratâ. Neque poteſt

debitor uni creditori non exigenti (excepto fortaſſe caſu nimiæ paupertatis) integrè ſolvere, alioqui facturus in fraudem aliorum creditorum. Qui tamen accepit, per ſe loquendo non tenetur reſtituere. Itaque non eſt hic habenda ratio utrùm creditores ſint tempore priores an poſteriores, quia hæc regula : *qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, ſolùm habet locum in hypothecatis.

Q. 3. *Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione?*

Nempe poſitâ notitiâ quod res quæ detinetur ſit aliena. Quare huc non ſpectat ignorantia invincibilis, quam conſtat excuſare à reſtitutione. Verùm talem ignorantiam non cenſentur habere; adeóque ex illo capite non excuſantur, qui v. g. calicem, vel ornamenta ſacra emunt à milite; gemmam aut vas pretioſum à vili ſervulo &c.

R. à Leſſio poſt Medinam enumerari duodecim, quas hîc recenſeo.

Prima eſt impotentia reſtituendi ſeu phyſica, ſeu moralis quamdiu durat.

Huc revocantur 1. extrema, vel ſaltèm gravis neceſſitas debitoris, vel parentum aut proximè conjunctorum.

2. Magnum periculum animæ, v. g. deſperationis, proſtitutionis filiarum &c.

3. Everſio ſtatûs: ut ſi vir nobilis debeat idcircò privare ſe omni famulitio; aut redigi ad ſtatum plebeïum &c. intellige ſi ſtatum illum juſtè obtinet, non rapinis, uſuris, injuſtis extorſionibus &c. Debet tamen ſemper, quantùm poteſt intra decentiam, de ſtatu ſuo detrahere.

4. Si reſtitutio fieri non poſſit ſine detrimento notabili debitoris in rebus non debitis; ut ſi non poſſit ſtatim ſolvere niſi vendat prædium ſuum multò minoris quàm valeat, & poſteà certò & commodè ſit reſtituturus.

Secunda eſt remiſſio creditoris; modò tamen ſit

omnino libera, neque metu, aut fraude, aut nimiâ debitoris tergiverſatione extorta.

Tertia: eſt ceſſio bonorum facta coram judice, per quam relictis tantùm neceſſariis ad victum, debitor id conſequitur, ne ulterius inquietari poſſit à creditoribus, ſaltem quamdiu non redierit ad pinguiorem fortunam.

Notant autem hoc loco Petrus Navarra. Leſſ. Sylveſt. &c. eum qui abſque ſuâ culpâ cogitur cedere bonis, poſſe abſcondere quantum neceſſarium eſt, ut vivat tenuiter ſecundum ſuum ſtatum. Quòd ſi quis bona ſua decoxerit luxu, commeſſationibus &c. tunc non eſt æquum, ut ſtatum ſuum conſervet cum aliorum damno. Si verò tales poſtquam luxu &c. bona ſua abſumpſerunt, ſe recipiant in aſyla, ibique cum creditoribus componant pro certâ ſummâ, non ideo ſunt tuti in conſcientiâ, ſi poſteà ad pinguiorem fortunam pervenerint, quia cum illa compoſitio coacta ſit, eique injuſtitia cauſam dederit, non cenſentur creditores abſolutè renuntiare juri ſuo: ſecùs ſi quis ſine culpâ opibus exciderit.

Quarta: Damnum ipſi creditori, aut alicui tertio probabiliter eventurum ex reſtitutione, ut ſi gladius ſit reſtituendus homini furioſo, aut irato, quo putetur ſibi aut alteri nociturus. Si tamen ſolùm agatur de vitando peccato creditoris, ut ſi pecuniâ, quam habes reſtituendam, ſit abuſurus ad aleam aut libidines, non potes præcisè iſto titulo negare, potes tamen differre ſolutionem.

Quinta: Si ſolutio facta eſt creditori ipſius creditoris: ut ſi alicui debeas 100. & hic fratri tuo etiã 100. liquidò debeat, ſi fratri ſolveris, ad nihil teneris, inquit Leſſius, ſaltèm in conſcientiâ: nam in foro externo id non habet locum, niſi res quæ reſtituitur, fuerit obligata ſecundo creditori. Imò nec in conſcientiâ id ſufficere putat Tanner. niſi in u-

troque debitore par planè per omnia fuerit obligationis æqualitas, ſicut tuus creditor non poſſit rationabiliter eſſe invitus.

Sexta eſt; ſi res in ſpecie debita interierit; modò tamen nec delictum, nec mora debitoris intervenerit. nec pactum de præſtando fortuito &c.

Aliæ cauſæ ſunt, juris aut Judicis authoritas, ingreſſus in Religionem, creditoris excommunicatio, quæ tamen non videtur impedire reſtitutionem, quæ eſt juris naturæ, quod jure poſitivo non videtur debere impediri, ſed tantùm parere exceptionem contra creditorem, debitum repetentem. Incertitudo creditoris, compoſitio cum Pontifice, compenſatio. De quibus alibi.

De ingreſſu in Religionem variant ſententiæ. Cajet. Sylveſt. poſt S. Tho. docent debitorem, qui non eſt ſolvendo, non teneri abſtinere ab ingreſſu Religionis, neque illum differre; quamvis manens in ſæculo poſſit lucrari unde ſatisfaciat debitis. Quam ſententiam varii limitant, niſi debitor poſſit brevi tempore v. g. duobus aut tribus annis creditoribus ſuis ſatisfacere; tunc enim Leſſ. Tanner. Sanchez &c. cenſent differendum eſſe ingreſſum. Imò juxta Moi. Layman &c. ne quidem videtur poſſe ingredi, quando etiam poſt longum tempus eſt ſpes poſſe ſatisfieri creditoribus. Ratio illorum eſt, quòd ſolutio debitorum obliget ex juſtitiâ, ingreſſus autem in Religionem ſit tantùm conſilii. Addunt Religionem quæ ſcienter talem recipit, obligari ad ſolvendum ejus debita.

CAPUT XXV.

De injuriis in corpus proximi, & neceſſariâ reſtitutione.

Dupliciter committi poteſt hæc injuria. 1. Per homicidium & mutilationem. 2. Per ſtuprum & adulterium.

Q. 1. *An aliquo caſu liceat ſeipſum occidere aut mutilare?*

R. 1. Nullo caſu licet propriâ authoritate ſeipſum directè occidere.

Dixi. 1. *propriâ authoritate*, quia ex Dei præcepto, & ejus inſtinctu id licet, ut patet in Samſone; item in quibusdam Martyribus, qui ultrò ſe in ignem conjecerunt. Quamquam varii poſſint etiam excuſari ob ignorantiam invincibilem.

An autem id liceat mandante Iudice, v.g. haurire venenum ad vitandam mortem atrociorem; minùs certum eſt, aliis affirmantibus, negantibus aliis.

Hæc magis certa: 1. id non poſſe innocentem injuſtè damnatum ad mortem.

2. Etiam nocentem ad id non teneri, quia tale præceptum eſt inordinatum.

3. Si ſit juſtè damnatus ad moriendum fame, poſſe abſtinere à cibo, etiamſi copiam illius habeat; quia hoc non eſt cooperari poſitivè ad ſuam mortem, ſed tantùm negativè, ſeu permiſſivè. Ita DD.

Dixi 2. *directè*, quia ex juſtâ causâ poteſt quis ſubinde aliquid facere vel omittere, unde ſciatur

certò vel ferè certò mors indirectè ſecutura.

Hinc poteſt quis in communi naufragio alteri permittere tabulam nondum à ſe occupatam, imo juxta variós etiam occupatam.

Item non teneris ad vitam conſervandam adhibere remedia nimis exquiſita, & pretioſa aut nimios cruciatus tolerare v. g. amputationem brachii &c. poteſt etiam ex causâ exerceri actio periculoſa cum evidenti vitæ diſcrimine, ut faciunt milites ſuffodientes & ſubruentes muros incendentes turrim hoſtilem &c. præſertim ſi ſit ſpes, quantumvis remota, evadendi. Hoc titulo excuſatur Eleazarus, qui ſuppoſitus elephanto ventrem ei ſuffodit, & ejus cadentis pondere oppreſſus eſt 1. Machab. 6.

Nota ad hoc ut quis licitè itâ aliquid faciat vel omittat ex quo prævideatur mors ſecutura requiri.

1. Ut actio cauſativa mortis non exerceatur per ſe, & directè circa ipſum operantem, ut fieret, ſi quis v g. ſeipſum jugularet.

2. Ut fiat ex gravi causâ.

3. Ut ſit ſpes aliqua,quantumvis parva evadendi: alioqui ſi nulla prorsùs adſit, ut ſi miles navalis, vel dux,navi jam ab hoſtibus occupatâ incluſus ignem injiciat in pulverem ad perdendos hoſtes, & privandos fructu victoriæ, dicunt aliqui, non licere: Leſſius tamen & Bonac. putant etiam eo caſu probabiliter licere.

R. 2. Nemo extra caſum neceſſitatis poteſt ſeipſum mutilare ſeu membro aliquo privare. Ratio utriuſque reſponſionis eſt, quia nemo eſt vitæ ſuæ, nec membrorum ſuorum dominus.

Dixi *extra caſum neceſſitatis*: quia in neceſſitate licet ſubinde mutilare ſeipſum majoris mali vitandi causâ, ut ſi alioqui immineat periculum vitæ, tunc enim hoc facis,non ut dominus membri quo te privas, ſed ut cuſtos vitæ quam conſervas. Id-

que ſecundùm multos etiam verum eſt, quando membrum eſt tantùm noxium extrinſecè, ut ſi pedem vinculis conſtrictum reſeces ad evadendum: item probabiliter ſi tyrannus mortem tibi minetur, niſi manum tibi præcidas &c.

Non licet tamen ſeipſum exſcindere ſeu caſtrare ad vitandas tentationes, & multó minùs ad conſervandam vocis ſuavitatem.

Q. 2. *An, & quibus liceat malefactores occidere?*

R. Eſt in Republicâ poteſtas occidendi malefactores; quia hoc eſt neceſſarium ad ſalutem & conſervationem illius. Hanc tamen poteſtatem non habent privati, niſi quatenus neceſſarium eſt ad vim vi repellendam, quod jure naturæ licitum eſt. Poteſt tamen Iudex ob graves cauſas malefactorem proſcribere, ſic ut quilibet privatus licitè poſſit illum occidere: quia tunc privatus non occidit authoritate propriâ, ſed publicâ, tamquam juſtitiæ executor, nec poteſt, juxta communem, proſcriptus eo caſu ſe defendere, ſaltem alterum occidendo, aut mutilando.

Q. 3. *An liceat parenti aut marito filiam aut uxorem in adulterio deprehenſas, aut ipſum adulterum interficere?*

R. Neg. & dico Leges civiles, quæ id permittere videntur, ut juſtæ ſint, ſic eſſe explicandas, ut tantùm liberent interfectorem à pœnâ judiciariâ ob juſtum dolorem, & vehementem animi paſſionem.

Prob. Reſponſio efficaciter ex Decreto Alexandri VII. dato anno 1665. quo damnat hanc propoſitionem: *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.*

Q. 4. *An aliquando liceat occidere innocentem?*

R. Quibuſdam caſibus licitum eſt innocentem

occidere indirectè, ſeu non intendendo directè ejus mortem; ut quando in bello dejicitur hoſtile propugnaculum, in quo concluſi tenentur aliqui innocentes. Nullo tamen caſu licet innocentem occidere directâ intentione.

Hinc in caſu quo tyrannus aliquis toti urbi minetur excidium, niſi quiſpiam innocens occidatur, occidi non poteſt. Probabile tamen eſt in iſto caſu poſſe Rempublicam ad ſui conſervationem, dictum innocentem cogere ut tyrannum adeat; & ſi ire nolit, eum vivum tyranno tradere; quamvis id aliqui negent, etiam probabiliter. Non poteſt tamen tali caſu tradi virgo, quæ à tyranno ad ſtuprum flagitaretur, nec ipſa teneretur ire ob periculum animæ. Poſſet tamen ſecundùm aliquos excludi urbe.

Q. 5. *An liceat alterum occidere ad vitæ propriæ defenſionem?*

R. affir. modò ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, ideſt, ea defenſionis moderatio, ut non magis noceas adverſario, quàm neceſſe ſit ad injuriam propulſandam. Quod etiam verum eſt, licèt prævideas alterum inde damnandum, ex eo quòd ſit in malo ſtatu: non enim idcircò privaris jure te-ipſum defendendi; neque teneris etiam ex charitate, cum vitæ jacturâ, ipſius ſaluti conſulere, cùm in ejus poteſtate ſit, ſe ſalvare.

Q. 6. *An injuſtè invaſus teneatur fugere ſi poſſit, potiùs quàm invaſorem occidere?*

R. Teneri, ſi fugiendo evadere poſſit ſine dedecore & magno incommodo, ut Religioſi, Clerici &c. qui ſaltem ex charitate ad id tenentur. At ſi qui invaditur ſit vir militaris, aut nobilis, cui fuga eſſet ignominioſa, non tenetur fugere, neque incurret irregularitatem, ſi invaſorem occidat, quia non tenetur cum tanto ſuo damno, mortem injuſti invaſoris vitare. Suar. de cenſuris

diſp. 46. ſect. 2. n. 6. Præpoſitus q. 5. de irregul. dub. 11. n. 87. & alii communiùs.

Q. 7. *Quid ſi aliquis te invadat viâ judiciariâ per impoſitionem falſi criminis, an tibi liceat eum occidere, ſi aliter evadere non poſſis?*

R. Omninò tenendum eſſe non licere; quia contrarium obnoxium eſt multis abuſibus, cùm homines ex averſione, odio, aliove pravo affectu facilè ſibi fingant ejuſmodi pericula, ubi non ſunt. Unde ab Alexandio VII. damnata eſt, & ſub graviſſimis pœnis doceri prohibita eſt hæc propoſitio: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.* Item hæc: *eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur*

Q. 8. *An liceat dare pharmacum matri gravidæ de vitâ periclitanti, ſi proles putetur inde moritura?*

R. 1. Si pharmacum directè tendat ad fœtûs, etiam nondum animati expulſionem, non licet. Multominùs id licet, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur. Ex propoſitione 34. inter 65. damnatas ab Innoc. XI. quæ ſic habet: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

R. 2. Si fœtus nondum ſit animatus, aut jam animatus non putetur ad Baptiſmum perventurus, licet matri præbere pharmacum directè tendens ad ejus curationem, etſi abortus videatur per accidens ſecuturus.

R. 3. Si ſit ſpes, moriente matre, prolem ad

Baptiſmum perventuram, non poteſt mater tale pharmacum ſumere, quia tunc tenetur æternam prolis ſalutem vitæ ſuæ corporali anteponere.

Non licet tamen ſecare ventrem matris, ex illâ ſectione certò moriturae, ad ſervandam prolem.

Q. 9. *An liceat alterum occidere in defenſionem rerum ſuarum?*

R. Licere, poſitis hiſce conditionibus: 1. Si non poſſis aliter res tuas ſervare, aut etiam ablatas recuperare ſine magnâ moleſtiâ & ſumptibus, v. g. viâ juris, occultâ compenſatione &c.

2. Si res ſit magni momenti. Hinc ab Innoc. XI. damnata eſt hæc propoſitio: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

3. Requiritur ut fur rem tuam adhuc invadat, aut ſaltem eum fugientem ita perſequaris, ut adhuc cenſearis eſſe in poſſeſſione civili: alioqui enim ſi rem tuam jam in tutò poſuerit, & poſſeſſionem acquiſierit, non amplius tibi licet, ad eam recuperandam, vim inferre, ſed debes ad remedia juris recurrere.

Nota 1. reſponſionem non debere intelligi de damnificante tantùm in bonis acquirendis, ad quæ jus habes inchoatum v g. de impediente ab obtinendâ hæreditate, legato, ſolutione debitorum &c. damnatæ enim ſunt ab Innocentio XI. hæ duæ propoſitiones: *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſivâ, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Item *Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.*

Nota 2. Reſponſionem maximè veram eſſe de fure nocturno effringente fores &c. quia tunc ſæ-

pe etiam ſubeſt vitæ periculum.

Si quis pro fructibus aut gallinis capiendis, murum noctu conſcenderet, eſſet contra juſtitiam illum occidere.

Generaliter non licet occidere quem ſufficienter potes monitum, aut verberibus mulctarum expellere; alioqui enim non ſervatur moderamen inculpatæ tutelæ.

Q. 10. *An liceat alterum occidere in defenſionem pudicitiæ?*

R. Licere, & à fortiori quàm pro defenſione rerum ſuarum. Auguſtinus, & ſi qui alii ſubinde videantur contrarii, explicandi ſunt de interficiente ex odio aut alio pravo affectu, aut non ſervato moderamine inculpatæ tutelæ.

Q. 11. *An idem licitum ſit pro defenſione honoris & famæ?*

R. Omninò non eſſe licitum. Ita communiter docent Theologi, inter quos Vaſques & de Lugo aiunt opinionem contrariam gentilitatem ſapere, & à Chriſtianâ lege alienam. Undè nec videri poteſt, non tantum practicè, ſed nec ſpeculativè quidem probabilis.

Accedunt decreta Summorum pontificum Alex. VII. damnantis hanc propoſitionem, *licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.* Item hanc, *eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defenſionis non ſuppetit &c.* Innoc. XI. hanc quoque propoſitionem in terminis: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſtè percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.*

Nota quibus caſibus licitum eſt alium in ſui, ſuarumve rerum defenſionem occidere, aut mutilare, iiſdem licere pro tuendâ vitâ, & rebus innocentis, ſaltem quando opem noſtram implorat, vel nobis ſpecialiter conjunctus eſt.

Imò plerumque non ſolùm eſt licitum, ſed etiam obligamur ex charitate, ſaltem pro vitâ ſervandâ, ſi fieri poſſit ſine gravi incommodo noſtro, aut periculo.

Item nonnulli ad hoc tenentur ex juſtitiâ, ut prætores, Magiſtratus &c.

Q. 12. *Quid & quibus reſtituendum ſit pro homicidio, aut mutilatione injuſtis?*

R. Pro vitâ, aut membro hominis præcisè, nulla debetur reſtitutio: quia vita hominis eſt bonum ſuperioris ordinis, quod neque ex toto, neque ex parte ad æqualitatem compenſari poteſt. Sunt tamen compenſanda damna realia, quæ ipſi læſo, vel aliis ex vulnere, aut morte ſecuta ſunt.

Hinc qui alterum injuſtè læſit, aut occidat, tenetur ad omnes expenſas curationis; item ad omne intereſſe lucri ceſſantis, ſeu quanta moraliter erat ſpes lucri ex operis ejus, detractis tamen expenſis, quas læſus erat facturus. Ad funeris expenſas non tenetur, quia æquè poſtea erant faciendæ.

Damnum & lucrum ceſſans, quod occiſus incurrit antè mortem, reſtituendum eſt hæredibus etiam extraneis. Ratio eſt, quia defunctus jam acquiſierat jus ad hanc compenſationem, jura autem defuncti tranſeunt ad hæredes.

Damnum autem omne quod ex morte provenit filiis, uxori, & parentibus defuncti, ſi & hos defunctus aleret, tenetur injuſtus occiſor compenſare. An autem etiam fratribus, hæredibus, creditoribus defuncti &c. alii affirmant, alii negant.

gant. Utrique probabiliter. Vide Dian. p. 3. tr. 6. reſ. 54. & 22. item P. 5. tr. 4. reſ. 56. & 57.

Ad preces, ſacrificia, eleemoſy as &c. pro animâ defùncti, non obligatur injuſtus occiſor ex juſtitiâ: æquum tamen eſt ejuſmodi ſubſidia ſpiritualia ab eo illi impendi, & à confeſſario pro ſatisfactione ſacramentali injungi.

CAPUT XXVI.

De reſtitutione ob ſtuprum, aut adulterium.

Stuprum, prout hic ſumitur, eſt defloratio, ſeu corruptio virginis, præſertim ſi ipſa violetur invita.

Adulterium autem fit tripliciter.

1, Quando conjugatus habet copulam cum non conjugatâ.

2, Quando non conjugatus cum conjugatâ.

3. Quando conjugatus cum conjugatâ non ſuâ. quod poſtremum, quia duplicem includit injuriam, eſt omnium graviſſimum, & in confeſſione aperiendum.

Q. 1. *Ad quid tenetur qui virginem corrupit?*

R. 1. Si corrupit volentem abſque vi, aut promiſſione matrimonii, ad nihil tenetur in conſcientiâ. Eſt communis contra paucos volentes eum nihilominùs teneri dotare, vel ducere corruptam.

R. 2. Qui virgini vim intulit, tenetur ad omnia damna quæ vel virgini, vel eius parentibus inde obveniunt. Quod item dicendum eſt, ſi minis, fraude, metu reverentiali, aut etiam violentâ precum importunitate copulam extorſerit, quia

his omnibus modis eſt cauſa efficax damni per injuriam, ergo ſatisfacere renetur vel pecuniâ juxta prudentis æſtimationem; vel ſi aliter ſatisfacere non poteſt, eam accipiendo in uxorem, ſi quidem ipſe ſit ſolutus. & ipſa id exigat. Non tenetur tamen ex rei naturâ eam ducere, ſi aliter ſatisfacere ſit paratus.

Quòd ſi ex ſtupro nulla virgini, ejuſve parentibus ſecuta ſint damna, eo quòd res manſerit occulta, & ipſa æquè commodè ac decenter nupſerit, ac ſi violata non fuiſſet, ſtuprator ad nihil tenetur in conſcientiâ, niſi fortè ad honorariam ſatisfactionem v.g. petitionem veniæ, ſi exigatur.

Quòd ſi nupſerit quidem æquè commodè, ſed jam nupta damnum aliquod inde ſentiat, quia res v. g. devenit in cognitionem mariti &c. tenetur damna ſic ſecuta compenſare.

Quod dixi de virginis violatione, cum proportione applicandum eſt aliis ejuſmodi violentiis, ex quibus ſequitur alterius damnum, ut ſi antecedenter corruptæ vim intuleris, ſed quæ paſſim virgo habebatur: ſi viduam violes, quæ idcircò fiet minùs idonea ad renubendum &c.

R. 3. Qui promiſſione matrimonii puellam ſeduxit, tenetur eam ducere, ſi ipſa velit, ſive promiſſio fuerit vera, ſive ficta. Nam ſi fuerit vera promiſſio, hoc ipſo eſt verus contractus; iſque oneroſus, cui promiſſor tenetur ſtare, cum puellâ ex parte ſuâ illum impleverit. Si promiſſio fuerit ficta, adhuc nihilominus tenetur corruptam ducere, quia, ut alibi diximus, fictus promiſſor tenetur ex motivo veritatis elicere verum conſenſum, atque ita, illo mediante, facere promiſſionem validam, quâ demum factâ obligetur ex promiſſione, adeoque ex juſtitiâ. Quod maximè verum eſt in noſtro caſu, quo ſtuprator in-

juſtè promiſſionem finxit ad ſeducendam puellam.

Adde quòd oppoſita ſententia nata ſit aperire viam multis fraudibus in hâc materiâ tam lubricâ. Quare noſtra in praxi omninò tenenda eſt, & in foro externo ſemper judicabitur in favorem puellæ.

Non deſunt tamen qui putent, ſecluſo ſcandalo, & puellæ damno, quod ſtuprator aliter compenſare paratus ſit, non obligari in conſcientiâ ad illam ducendam. Quod nonnulli etiam extendunt ad matrimonium fictè initum. Vide Sanchez l. 1. de Matrimonio diſp. 10 n. 2. item Dianam p. 3. tr. 4. reſ. 247. & p. 11. tr. 6. reſ. 55.

Nota, inſiſtendo ſententiæ communiori de obligatione ducendi eam, quam promiſſo conjugio ſeduxeris, te eâ obligatione liberari in his caſibus.

1. Si puella ex circumſtantiis facilè deprehendere potuerit non agi ſincerè; ut ſæpè contingit quando eſt valde magna diſparitas in nobilitate, divitiis &c.

2. Si illa finxerit ſe virginem, cùm non eſſet.

3. Si ex conjugio timeantur gravia ſcandala, aut peſſimus exitus.

4. Si puella poſtea permittat ſe ab alio ſeduci &c. quo etiam caſu nulla debetur compenſatio; uti nec in caſu quo puella nolit ei nubere, aut parentes nolint eam illi tradere.

Q. 2, *Ad quid teneantur adulteri?*

R. 1. Adulter & adultera, partu non ſecuto, ordinariè ad nihil tenentur; quia pro injuriâ ſeparatâ à damno, non debetur ſatisfactio; niſi fortè aliqua honoraria, ſi conjux reſciat, & illam exigat.

Cavendum tamen confeſſario nè adulteræ injungat, ut à marito, rei ignaro, veniam petat.

Quòd ſi adulter & maritus adulteræ inter ſe conveniant de ſatisfactione pecuniariâ, eamque adulter jam dederit, retineri poteſt. Leſſ. Filiuc. &c. non tamen tenetur adulter eam dare, quia talis tranſactio pro adulterio in jure eſt prohibita.

R. 2. Partu ſecuto tenetur mater prolem alere uſque ad annum tertium incluſivè; pater autem reliquo tempore. Si tamen adultero non ſatis conſtet prolem eſſe ſuam ob probabiles rationes dubitandi, probabile eſt ad nihil teneri; quia ratione matrimonii proles eſt in poſſeſſione ſuæ legitimitatis, quâ privari non debet ratione dubii. Leſſ. Bonacina, & alii.

Quibuſdam tamen magis placet, eum teneri aliquid conferre pro ratione majoris vel minoris dubii: quia non videtur æquum in dubio totum onus alteri imponi, præſertim cùm adulter ſit nocens, & ſuâ culpâ maritum conjecerit in periculum alendi ſpurium. Ita Mol. Layman. &c.

Q. 3. *Quid ſi adultera prolem ſpuriam marito ſuppoſuerit?*

R. Si id fecerit, ſuadente adultero, tenetur uterque ad compenſationem omnis damni, quod inde ſive marito ſive liberis legitimis obvenit: ut ſi maritus prolem ut ſuam aluit, ſi dotavit, ſi hæc cum aliis partem hæreditatis accepit &c. tenetur autem uterque adulter æque primo pro parte ſuâ; & in alterius defectum, uterque in ſolidum.

Quòd ſi proles ſpuria abſque ſuaſu adulteri ſuppoſita fuerit, Sotus, Henriquez, & quidam alii docent adulterum non teneri de damno, eo quòd ſola adultera ſit cauſa proxima ſuppoſitionis, adulter autem ſolùm cauſa remota, & per accidens.

Alii tamen communiùs docent, etiam eo caſu utrumque teneri ad omnis damni compenſationem: quia etiam tunc damnum ſequitur ex ac-

tione injurioſâ. & quidem, rem ſpectando moraliter, non per accidens, ſed per ſe, cum hoc ipſo quòd proles in conjugio naſcitur, tribuitur marito ut parenti, etiamſi illam aliter non ſupponat adultera; ex quo per ſe ſequitur illa deceptio, ſcilicet prolem haberi legitimam, admitti cum aliis ad hæreditatem &c.

Q. 4. *An partu ſecuto teneatur adultera prodere delictum ſuum occultum cum gravi famæ vel vitæ periculo, ad avertenda damna quæ marito, aut legitimis liberis obvenire poſſunt?*

R. Non teneri, ſaltèm regulariter, ex capitulo 9. de pœnitentiis & remiſſionibus. Ubi dicitur danda abſolutio mulieri, quæ ſimulato partu prolem ſibi ſuppoſuerat, ſicut & ei quæ ex adulterio conceperat, neque id audebant maritis manifeſtare.

Q. 5. *Quis igitur modus compenſandi damnum marito, & legitimis liberis illatum?*

R. 1. Si adulter occultè v. g. per confeſſarium, ſummam pecuniæ tradi curet marito, vel filiis ejus legitimis, aut certè ſi prætextu aliquo ut amicitiæ, conſanguinitatis &c. illis aliquid leget.

2. Si ipſa adultera illis relinquit ſua paraphernalia, aut alioqui libera.

3. Si diligentiùs rem familiarem curet, aut de ſumptibus ſolitis imminuat, quantùm permittit ejus ſtatus.

4. Si ſuaviter inducat ſpurium ad Religionem, vel ſtatum Eccleſiaſticum, & ad ceſſionem bonorum in favorem legitimorum.

Q. 6. *An teneatur ſpurius credere matri affirmanti illum natum ex adulterio; præſertim ſi hoc affirmet cum juramento etiam in articulo mortis?*

R. Probabiliter non teneri, etiam in foro conſcientiæ, niſi fortè aſſertio adulteræ certis aliis in-

Digitized by Google

diciis confirmetur. Ita Canoniſtæ & Juriſperiti ex variis juribus; & ratio eſt, quia *allegantis ſuam turpitudinem nulla debetur fides*; ut habet regula juris, nempè cum alterius præjudicio, ut in præſenti caſu. vide Dian. p. 11. tr. 6. reſ. 56.

Col. non facilè à confeſſario cogendam eſſe adulteram, etiam in articulo mortis, ut ſe prodat, cùm præter jam dicta, ſæpè fieri poſſit, ut maritus & filii legitimi malint facere jacturam portionis ſibi alioqui debitæ, quàm cum adeò gravi ſuo dolore & probro reſcire uxoris, vel matris crimen, cum periculo evulgationis.

CAPUT XXVII.

De injuriis famæ & honoris per detractionem, contumeliam, calumniam &c. & neceſſariâ reſtitutione

Q. 1. *Quid detractio, contumelia, calumnia; & qualia ſint peccata?*

R. *Detractio* eſt alienæ famæ injuſta imminutio.

Contumelia eſt diminutio honoris, ſive factis, ſive dictis facta in os, ſeu coram eo cui infertur.

Calumnia eſt falſi criminis vel defectûs impoſitio.

Sunt ex genere ſuo mortalia: ſæpe tamen fit ut ſint tantum venialia, ſive ex parvitate materiæ, ſive ex imperfectione deliberationis & advertentiæ; præſertim ſi abſit intentio nocendi.

Porro levitas materiæ in propoſito non tam ſpectanda eſt ſecundum ſe, quam per ordinem ad

perſonam de quâ detrahitur, cum fieri poſſit, ut quod reſpectu unius eſt materia levis, reſpectu alterius ſit gravis. Ut ſi de puero aut vili ſervo dicas quòd ſæpè mentiatur, cenſetur leve: at ſi hoc dicas de Epiſcopo, Sacerdote, Religioſo, vel etiam laïco honorato, poteſt eſſe grave.

Coll. in materiâ detractionis non eſſe mortale

1. Referre aut exprobare defectus merè naturales, ut ingenii, corporis, fortunæ, aut etiam natalium; niſi is cui talia obiicerentur, eſſet vir gravis, aut periculum ſit damni notabilis inde obventuri.

2. Narrare defectus veniales, niſi rurſum eſſet perſona talis in quâ is defectus, præſertim habitualiter inhærens, cenſeretur eſſe magni momenti.

3. Uti generalibus nominibus vitiorum, & quæ magis naturæ propenſionem, quam peccatum grave ſignificent, ut ſi dicas aliquem eſſe glorioſum, iracundum, tenacem. &c. Excipe ſemper ſpecialem perſonæ conditionem.

4. Si perſonam de certo crimine jam infamem referas iterum peccaſſe eodem aut ſimili peccati genere.

5. Si peccatum etiam mortale perſonæ talis conditionis non cenſeatur adferre gravem infamiam, ut ſi de nobili dicas, commiſiſſe duellum, de milite eum ſæpe jurare, puellam decepiſſe, ſpoliaſſe ruſticum &c.

Hinc etiam contumeliæ alioqui graves, inter pueros, mulierculas, & ejuſmodi viles perſonas, ſæpe non ſunt mortales.

Addunt nonnulli, ſi audita referas præcisè ut audita, nihil affirmando, ſed ſignificando rem eſſe dubiam. Quod tamen non videtur tam generaliter admittendum: ſi enim periculum ſit, nè audientes fidem adhibeant, aut aliis fidem adhibituris evulgent, erit mortale; ſecùs ſi prudenter

exiſtimentur non credituri.

Q. 2. *Quid dicendum de audiente detractiones?*

R. Si ita audiat, ut ſit cauſa moralis detrahendi, ſive poſitiva, incitando alium per interrogationes &c. ſive negativa, quia non impedit, cum teneatur ex officio, peccat contra Iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem æquè ac ipſe detrahens, ſi nempè adfuerunt alii Auditores, apud quos reparanda ſit fama.

Quòd ſi nec detrahentem provoces, nec tenearis ex officio impedire, id tamen facilè poſſis, & infamia proximi ſit gravis, nec aliter avertenda, eſt mortale contra charitatem detrahentem audire; Secùs ſi res ſit levis, aut infamia non ſequatur efficaciter, ut ſi putes monitionem tuam nihil profuturam. Debes tamen tu, ſi commodè poſſis, diſcedere, vel diſplicentiam aliquo exteriori ſigno indicare.

Cæterum ad vitandos Scrupulos nota rarò accidere ut æqualis, rariſſimè ut inferior teneatur ſub mortali detrahentem compeſcere, aut corrigere.

Q. 3. *An liceat ſeipſum infamare?*

R. id licere quidem, per ſe loquendo, quia quiſque eſt dominus ſuæ famæ; per accidens tamen poſſe eſſe mortale; ut ſi infamia mea redundet in infamiam alterius, cujus famam teneat conſervare; ſi fama mea neceſſaria ſit ad ritè obeundum officium meum, ut ſi ſim ſuperior &c.

Hoc inſuper notandum, probabile eſſe poſſe aliquem citrà mortale ad vitandos torturæ cruciatus valde acerbos, ſibi falſum crimen imponere, quamvis ob hoc prævideat ſe morte plectendum. Ita Leſſ. cum variis quos citat, contra Navarrum. aliud erit ſi tormenta non ſint niſi levia. Item ſi Reip. aut ejus propinquis &c, ex iſtâ confeſſione ſequerentur gravia damna.

Q. 4. *Quid ſit judicium temerarium, & quale peccatum?*

R. 1. Eſt judicium quod de altero in malum ſine ſufficienti fundamento formatur, quo fit ut alter bonam apud nos exiſtimationem perdat. Quatuor in eo gradus diſtingui ſolent.

1. eſt dubitatio, quâ fluctuando inter bonam & malam de proximo æſtimationem, aſſenſum ſuſpendimus.

2. eſt ſuſpicio, quâ licèt nondum abſolutè aſſentiamur, tamen in malam partem magis inclinamus.

3. eſt opinio, quâ aſſentimur quidem, ſed non firmiter, adeòque de oppoſito adhuc dubitamus.

4. eſt aſſenſus firmus, quo ſine dubitatione judicamus rem ita ſe habere. Et hoc eſt propriè judicium temerarium, ſi fiat ſine ſufficienti fundamento.

R. 2. judicium temerarium ſi ſit completum, & in quarto gradu, eſt mortale contra juſtitiam. Quia unuſquiſque habet jus, ut ſine fundamento non perdat bonam æſtimationem apud alium. Ita S. Tho. & Theologi communiter ex Math. 7. & Luc. 6. *nolite judicare & non judicabimini.*

Dixi *ſi ſit completum &c.* quia opinio temeraria, non eſt ordinariè niſi veniale, quod à fortiori dicendum eſt de ſimplici ſuſpicione, aut dubitatione. Ratio eſt, quia, cum non affingat certò malum grave alteri, non cenſetur gravis injuria.

Hinc notat Mol. tomo 5. diſp. 13. viros timoratæ conſcientiæ, raró ex hâc parte incidere in mortale, licèt ſæpe ſcrupulis agitentur.

Adde non eſſe judicium temerarium, adeòque nec peccaum, ſi quis habeat, aut ſe habere putet fundamentum ſufficiens proportionatè ad ſuum actum.

Hinc ſi judices aliquem eſſe impurum, quia ordinariè noctu frequentat loca impura; eſſe hæreticum quia paſſim ridet Miſſæ Sacrificium &c. non

erit judicium temerarium : quamquam chriſtianæ charitatis ſit, dum opus externum excuſare non poſſumus, excuſare intentionem, vel Deo examinandam relinquere.

Q. 5. *Quibus caſibus liceat crimen alterius occultum revelare ?*

R. Licere in ſequentibus :

1. Ob bonum ipſius delinquentis ; ut fit in denuntiatione evangelicâ ; ſervato tamen, quantùm opus eſt, ordine fraternæ correctionis, de quo in trac. de charitate.

2. Ut conſilium vel auxilium petatur à viro prudente. Quâ etiam ratione excuſant nonnulli (ſaltem à mortali) ſi quis injuriam ſibi factam uni fideli amico referat causâ ſolatii.

Item ſi vir & uxor invicem narrent peccata, etiam gravia filiorum aut famulorum &c.

3. Si quis aliquam dignitatem, beneficium, aut officium poſtulet, cujus eſt incapax.

4. Ob juſtam tui aut proximi defenſionem : ut ſi alter tibi, aut tuis detrahat, nec impedire poſſis, niſi elevando ejus authoritatem, criminis detectione.

5. Si ita neceſſarium ſit ad avertendum quodcumque aliud grave damnum tertii,

6. Si id neceſſarium ſit, ut ipſe evites, tormenta gravia ; quia non teneris cum tanto incommodo tuo ſervare ejus famam, aut etiam ſecretum tibi commiſſum, modò illud ſine vi & fraude, & extra confeſſionem acceperis.

Nota. In materiâ detractionis damnatas eſſe ab Innocentio XI. has propoſitiones 43. *Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam, falſo crimine elidere ? 44. probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat.*

Q. 6. *An ſit mortale revelare crimen alterius uni,*

vel duobus viris prudentibus, qui putentur ſecretum ſervaturi, ſecluſo alio incommodo, aut periculo ?

R. juxta communiorem affirmativè, præſertim ſi is cui revelas, ſit perſona gravis cum quâ criminoſus frèquenter agit, vel à quâ dependet; quippè qui mallet crimen ſuum pluribus plebeis, quàm uni tali revelari. Cajetanus tamen, Navarrus, Navarra, & alii, non improbabiliter contrarium tenent, ſi nempe non ſequatur aliud incommodum, quàm læſio famæ apud unum alterumve, qui ſupponuntur ſervaturi ſecretum.

Q. 7. *Quid dicendum quando crimen grave eſt publicum ?*

Nota crimen aliquod hîc dici publicum, ſeu notorium tripliciter.

1. Publicitate juris, hoc eſt, per ſententiam in judicio publico latam, vel juridicam teſtium depoſitionem, vel delinquentis confeſſionem.

2. Publicitate facti, ut ſi res facta ſit in præſentiâ multorum, vel iis circumſtantiis, quibus cenſeri poteſt publicum.

3. Publicitate famæ, ut ſi res in ſecreto facta ad multorum notitiam pervenerit. Quanta autem multitudo requiratur, pendet ex prudenti judicio attentis circumſtantiis.

R. Si crimen ſit publicum ipſo jure, ſaltem per ſententiam, non videtur eſſe contra Juſtitiam, illud revelare neſcienti: quia iſto caſu reus privatur jure ad famam, cum hæc ſit una ex pœnis judiciariis, reorum crimina publicè manifeſtari.

Dixi *ſaltem per ſententiam*, quia ſi notum ſit ex ſolâ confeſſione criminoſi aut etiam legitimâ teſtium depoſitione, Mol. Layman &c, cenſent non poſſe evulgari ſine injuriâ. Leſſ. tenet evulgari poſſe.

Idem dicendum videtur ſi crimen ſit publi-

cum ſive ipſo facto, ſive famâ: quia jure-gentium ipſa criminis notorietate videtur reus jus ad famam amittere. Debet tamen crimen eſſe publicum abſolutè. Si enim tantùm ſit publicum in aliquâ parvâ communitate v. g. Monaſterio, Conventu, Collegio &c. non cenſetur publicum reſpectu aliorum.

Adde ſi crimen aliter notorium fuerit quàm per ſententiam Iudicis; & criminoſus actibus cōtrariis, procedente tempore, famam recuperaverit videri ſæpe contra juſtitiam, obliti criminis memoriam revocare.

Q. 8. *An crimen publicum in uno loco, poſſit vulgari, in alio?*

R. Hîc etiam ſpectandum an ſit publicum publicitate juris, an facti, an famæ, & dicendum cum proportione, ſicut antè.

Adde non videri eſſe mortale, etiam contra charitatem, crimen publicum evulgare eo loco, quo propter commercia, ejus fama brevi eſt perventura: at ſi non eſt brevi perventura, multi tenent repugnare charitati: quod negant alii, præſertim in caſu quo crimen eſt publicum per ſententiam; quia tunc criminis revelatio videtur eſſe quædam juſtæ ſententiæ executio. Vide Dian. p. 3. tr. 5. reſ. 17. & p. 4. tr. 4. reſ. 128.

Q. 9. *Quæ reſtitutio facienda ſit in materia detractionis?*

R. 1. Qui dicendo falſum, alium infamavit, tenetur efficaciter revocare, dicendo expreſſè, aut etiam jurando, ſi opus ſit, ſe fuiſſe mentitum. Ad id tamen, per ſe loquendo non tenetur, cum vitæ periculo, quia nemo tenetur reſtituere bonum inferioris ordinis cum jacturâ boni ſuperioris.

Dixi *per ſe loquendo*, quia ſi ex tuâ infamatione v. g. ex falſo teſtimonio ſcienter dicto, immineret alteri periculum vitæ, tenereris teſtimonium

revocare, etiam cum propriæ vitæ periculo.

R. 2. Qui crimen alterius verum, ſed injuſtè evulgavit, non debet expreſsè dicere ſe falſum dixiſſe, ut volunt Navarra. Lugo &c. ſed ſe malè locutum fuiſſe, ſe deceptum eſſe &c. ſiquidem hoc ſufficiat ad famæ reſtitutionem.

Quod addo, quia in praxi ſagaciores ſic magis confirmari ſolent in opinione admiſſi criminis. Unde eo caſu videtur ſufficere ſi detractor ex occaſione honorificè de altero loquatur; præſertim apud illos coram quibus detraxit: quia eo modo declarat bonam ſuam de illo æſtimationem. Ita Cajet. Sotus, Tanner. Valent & alii plures apud Dian. p. 3. tr. 5. miſcel. reſ. 30. &c.

R. 3. Injuſtus detractor ſive falſum, ſive verum crimen evulgaverit, tenetur de omni damno ex infamiâ ſecuto; ut ſi alter ob infamiam impeditus ſit à conſecutione alicujus officii vel beneficii.

R. 4. Is qui abſque ſuâ culpâ alterum infamavit, quia v. g. omninò credebat rem eſſe publicam, errore deprehenſo, tenetur, ſaltem ex charitate, ad famam reparandam, ſi fieri poſſit ſine gravi incommodo, puta æquali, aut ferè æquali ſuâ infamiâ.

Dixi, *ſaltèm ex charitate*, quia juxtà communiorem, ad id tenetur etiam ex juſtitiâ; eo quòd unuſquiſque videatur ex juſtitiâ obligari impedire injuſtum damnum, quod alteri ſequitur ex actione ſuâ quamvis inculpatâ, ſi id commodè poſſit. Non videtur tamen talis obligandus ad damna ſecuta, quamdiu non omiſit culpabiliter famam reparare; quia ſupponitur damnificatio non fuiſſe injuſta.

Q. 10. *Quænam excuſent à reſtitutione famæ?*

R. Excuſare 1. ſi infamia notabilis efficaciter

ſecuta non ſit, ut quia infamator nullius eſt fidei; vel quia auditores jam aliunde idem ſciebant.

2. Si injuria condonetur ab eo, qui poteſt efficaciter condonare; quod addo, quia Religioſus v. g. non poteſt efficaciter condonare infamiam quę ex crimine ſibi afflicto redundat in totam communitatem.

3. Si alter viciſſim te infamaverit: potes enim uti compenſatione, ſeu potiùs differre reſtitutionem dum alter reſtituerit.

4. Si infamia aliunde ſit abolita, aut ſufficienter reparata v. g. per ſententiam Iudicis.

5. Si crimen ſit factum publicum aliâ ratione.

6. Si reſtitutio ſit impoſſibilis, ſaltèm moraliter.

Nota etiam defuncto deberi reſtitutionem famæ & honoris; nec videri obligationi iſti ſatisfieri per ſolas preces pro ejus animâ, ut communiùs DD. contra Mol. & Rebel. neque à mortali excuſandi ſunt, qui defunctis graviter detrahunt, aut in eorum ſepulchra vel imagines contumelioſi ſunt.

CAPUT XXVIII.

De injuriâ factâ in bonis fortunæ per furtum & rapinam, & neceſſariâ reſtitutione.

FUrtum eſt occulta rei alienæ ablatio invito domino. Differt à rapinâ quæ non fit occultè, ſed vidente & renitente domino.

Q. 1. *Quæ quantitas requiratur ad peccatum mortale furti?*

Nota, quamvis varii, ut Malder. Dicaſtillo &c. velint eandem abſolutè aſſignandam eſſe quantitatem, ſive furtum fiat pauperi, ſive diviti, ſive Principi, &c. eo quòd diverſa illa perſonarum conditio videatur habere ſe per accidens, & extrinſecè ad rationem furti: Alii tamen meritò cenſent habendam eſſe rationem conditionis perſonarum à quibus aliquid furto aufertur. Cùm enim eſſentia furti non conſiſtat præcisè in ablatione rei alienæ ſpectatâ velut in abſtracto, ſed quatenus conjungitur cum levi, vel gravi, eoque rationabili diſſenſu domini, ſitque rationi conſentaneum, quod pauper graviter ſit invitus pro ablatione alicujus parvæ ſummæ, pro quâ Princeps aut Rex non eſſet rationabiliter invitus, ſequitur ex ipsâ ratione intrinſecâ furti, requiri majorem quantitatem reſpectu divitis, Principis &c. quam reſpectu pauperis. Hoc poſito, & ſpectatâ opinionum varietate.

R. Pro his partibus à multis ſtatuitur hæc regula ut, per ſe loquendo, ſit mortale.

1. A Rege, Principe, vel quovis alio opulen-

tiſſimo furari circiter unum aureum.

2. A divite mercatore 30. aut 40. aſſes.

3. Ab artifice ordinario, aut mediocri mercatore 15.

4. Ab operario paupere v. g. foſſore 10. aſſes, vel quantùm ipſi valet merces operæ diurnæ.

5. A mendico 5. aut 4. aſſes, uti & à paupere fœminâ quæ nendo aut alio ſuo opere diurno nonniſi 3. aut 4. aſſes lucratur ad vitam ægrè ſuſtentandam. Ratio horum eſt, quia ſinguli meritò præſumi poſſunt in his eſſe rationabiliter inviti.

Dices non videtur in iſtâ regulâ ſervari juſta proportio; nam ablatio 100. aureorum non tantum adfert incommodum Principi, aut mercatori opulento, quantum ablatio 10. aſſium pauperi &c.

R. Nego aſſ. quia ratio cur ſinguli debeant eſſe graviter inviti non ſumitur totaliter ex incommodo quod ſinguli percipiunt, ſed partìm ex gravitate iſtius incommodi, partìm etiam ex gravi malo quod inde Reipublicæ imminet.; nam ſi citra mortale liceret à divite mercatore furari pluſquam 30. aut 40. aſſes, cùm mercatores ejuſmodi frequentes ſint, aperiretur porta frequentiſſimis latrociniis, quod eſt grave Reipub. malum. Similiter eſſet magna furandi illecebra cum gravi damno Reipub. ſi citra mortale liceret à Principe &c. furari aliquot aureos. Aliud eſt de furtis levibus, quæ cùm non adferant magnam utilitatem furibus, non ita dant magnam furandi illecebram.

Q. 2. *Quid dicendum de furtis filiorum familias &c.*

R. In illis majorem requiri materiam ad peccatum mortale, partìm quia bona quæ ſurripiunt, minùs cenſentur aliena, partìm quia parentes cenſentur minùs inviti.

Hinc putat Leſſius ſi filius parenti prędiviti duos

duos aut tres aureos ſubſtraxerit, non eſſe ſtatim condemnandum peccati mortalis; ſecùs ſi mechanico &c.

Spectanda etiam ſunt non tantùm quantitas rei acceptæ, ſed etiam parentis facultates, liberalitas, indulgentia in liberos &c. & ſi ſpectatis omnibus ſumma accepta cenſeatur notabilis, & parens abſolutè invitus; erit peccatum mortale, & obligans ad reſtitutionem faciendam parenti vel cohæredibus, niſi parens illam cenſeatur remittere.

Idem cum proportione dicendum de aliis domeſticis, conſanguineis, & familiaribus.

Et hæc omnia magis adhuc locum habent in furtis eſculentorum, quæ committuntur à filiis, aut famulis, in quibus domini non tam ſunt inviti ratione rei ablatæ; quàm ratione modi accipiendi; ac proinde in illis ſæpè non eſt mortale, niſi res illas accipiant, non ut ipſi conſumant, ſed ut aliis dent, vendant &c.

Q. 3. *An ſit idem de Religioſis ſurripientibus bona Monaſterii?*

R. Nonnullos id affirmare: ab aliis tamen probabiliùs negari; tum quia Religioſi ratione ſtatûs profitentur majorem perfectionem, & voto paupertatis obſtricti ſunt; tum quia non ſunt hæredes in ſpe bonorum Monaſterii, ſicut filii bonorum paternorum; tum denique quia ſententia affirmans eſt valdè noxia diſciplinæ religioſæ, ſeu bono communi Religionis.

Cæterùm quia Religioſi ſunt pars communitatis, penes quam eſt dominium bonorum communium, probabile eſt majorem quantitatem requiri reſpectu illorum ad conſtituendum peccatum mortale, quam reſpectu extranei ſurripientis bona ejuſdem communitatis, minorem tamen quàm in filio-familias, ob rationes allatas.

Q. 4. *An plura furta levia conſtituant mortale?*

Q.

R. 1. Qui per furta levia ſæpè repetita intendit rem notabilem paulatim furari, ſive ab eodem, ſive à diverſis, peccat mortaliter in furtis ſingulis; quia ſingula ſunt executio voluntatis mortaliter malæ.

Hinc qui ex tali fine utitur ponderibus & menſuris injuſtis, eſt habitualiter in peccato mortali.

Hæc tamen minuta furta probabiliter non ſunt totidem mortalia completa, neć diſtinctè exprimenda in confeſſione, ſed faciunt unum moraliter, quando procedunt ex unâ voluntate moraliter non interruptâ v. g. per unam diem, imò per plures.

R. 2. qui abſque animo furandi rem notabilem, ex occaſione furatur varia minuta ſive ab eodem, ſive à diverſis, ſic ut tandem deveniat ad quantitatem notabilem, peccat mortaliter in furto partis, eam quantitatem complentis. Ratio eſt, quia talis ſimul atque ad notabilem quantitatem pervenit, niſi per inadvertentiam excuſetur, jam incipit voluntariè detinere alienum in notabili quantitate.

Hoc tamen ita intellige, non quaſi hæc ultima acceptio ſit mortalis de ſe præciſè, etiam præſuppoſitis prioribus acceptionibus, ſed tantùm quatenus hæc acceptio ut conjuncta cum iniquâ detentione reliquæ quantitatis, eſt voluntaria illatio damni notabilis. An autem talis teneatur totum ſub mortali reſtituere, controvertitur, utrimque probabiliter. Circa hæc,

Nota juxta communem plùs requiri in ejuſmodi furtis minutis ad rem notabilem, quàm ſi ſimul & ſemel acciperetur, eo quòd dominus tunc cenſeatur minùs invitus. Unde Leſſius requirit hìc circiter duplum & Layman putat famulum qui ſubſtrahendo modò unum alterumve nummulum, modò alium ſpatio 4. annorum per-

venit ad unum ducatum, non eſſe damnandum peccati mortalis, modò id non fiat ex intentione ditefcendi, ſeu conflandi ſummam notabilem, ut ſupra. Item modò hæc paulatim conſumpſerit, ita ut non retineat ſimul ſummam notabilem; alioqui tunc teneretur ratione rei alienæ notabilis apud ſe exiſtentis. Vide etiam Dian. p. 1. tr. de Religioſâ paupertate reſ. 34.

Q. 5. *Quid dicendum de Sartoribus, eorumque famulis accipientibus, & vendentibus fragmenta quæ ſuperſunt poſt factas veſtes?*

R. 1. Si ea ſint exigua, retineri poſſe tamquam habita pro derelictis, adeoque etiam à famulis poſſe licitè accipi & vendi. Sanchez.

R. 2. Si ſint fragmenta alicujus pretii, nec ita modica, ut pro derelictis haberi debeant; per ſe loquendo, retineri non poſſe, etiam ab ipſis magiſtris. Quamvis Sanchez & Lugo, ſartores talia retinentes, putent ſubinde excuſari poſſe hoc titulo, quòd ſoleant ſuſcipere veſtes minori pretio conficiendas ſub tacitâ illâ conditione, ut ea fragmenta retineant in complementum mercedis.

Q. 6. *An & quibus conditionibus liceat uti occultâ compenſatione?*

Occulta compenſatio hîc dicitur, quando inſcio eo qui tibi debet, accipis vel retines privatâ authoritate tantum ex ejus bonis quantum tibi debet.

R. eſſe licitam ſub his conditionibus: 1. ut res tua ſit apud alium injuſto titulo, nam ſi juſto titulo eam detineat v. g. pignoris, commodati &c. non potes illam occultè recuperare, &, ſi facis, teneris reſtituere.

2. Ut rem tuam, aut debitum aliâ viâ, putà in judicio, aut ſine magnis moleſtiis recuperare non poſſis. Putant tamen varii eum qui hanc conditionem non obſervarit, non teneri in conſcientiâ reſtituere. Addit Dian. p. 2. tract. 2. miſcel. reſol.

48. etiam interdum non peccare.

3. Ut ſit debitum ex juſtitiâ, non ex ſolâ gratitudine.

4. Ut debitum ſit certum ſaltem moraliter.

5. Ut debitum ſit actu præſens, non autem futurum, ſi tamen prævideas debitum brevi futurum v. g. poſt menſem, tibi nunquam eſſe ſolvendum, niſi jam te compēſes, probabile eſt poſſe anticipari compenſationem. Quo caſu addit Lugo compenſandum eſſe damnum, ſi quod eveniat debitori ex illâ anticipatione. Proſpiciendum item ne debitor bis ſolvat.

Circa furta & eorum reſtitutionem prohibitæ ſunt ab Innoc. XI. ſequentes propoſitiones: 36. *permiſſum eſt furari non ſolùm in extremâ neceſſitate, ſed etiam in gravi* 37. *famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt.* 38. *non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

Q. 7. *An defraudatio tributorum, & vectigalium ſit contra juſtitiam?*

R. Si tributa ſeu vectigalia &c. ſint iniqua, nullam pariunt obligationem, ſi verò ſint juſta, ea defraudantes peccant graviter contra juſtitiam, ſi materia ſit gravis. Ex illo Rom 3. *cui tributum tributum &c.* adeóque obligantur ad reſtitutionem. Ratio eſt quia ſunt juſtum ſtipendium Principis, & ſubſidium neceſſarium ad onera Reip. ad quæ compenſanda tenentur ſubditi ex juſtitiâ.

Imò per ſe loquendo, ſolvenda ſunt, etſi non exigantur: quia leges tributorum non ſunt pœnales, ut volunt aliqui, ſed ſunt quædam determinatio ejus quod alioqui debetur ex rei naturâ: in debitis autem non pœnalibus non excuſat exactoris negligentia vel oblivio.

Dixi *per ſe loquendo.* : quia ſi alicubi conſuetudo invaluerit ut non ſolvantur antequam exigantur, non erit obligatio ultrò ſolvendi. Quod præſertim verum eſt de gabellis quæ ad portam civitatis, aut pontem, aut viam publicam ſolvi debent, conſtitutis ibi exactoribus.

Adde quibuſdam in locis leges vectigalia imponentes haberi pro merè pœnalibus, ſic ut contravenientes obligentur ad ſolam mulctam, ſi fuerint deprehenſi. Quod de Luſitania nonnulli aſſerunt.

De Eccleſiaſticorum immunitate à tributis v. Leſſ. Lugo &c.

CAPUT XXIX.

De injuſtitiâ quæ committitur in judiciis.

Q. 1. *Quæ ſit forma ſervanda in judiciis?*

R. 1. In cauſis civilibus judex non procedit niſi poſtulatus, ſive ad inſtantiam partis. In criminalibus autem interdum procedit ex officio, interdum poſtulatus.

R. 2. Judex in criminalibus tribus modis procedere poteſt, nempè viâ accuſationis, denuntiationis juridicæ, & inquiſitionis.

Differt autem accuſator à denuntiatore, quod ille ſit actor, & onus probandi in ſe ſuſcipiat; hic autem ſimpliciter denuntiet, non ſuſcipiendo onus probandi.

R. 3. Inquiſitio eſt triplex. 1ª. generalis, quâ nec de certâ perſonâ, nec de certo crimine inquiritur, ſed tantùm in genere, an ſerventur leges? an aliquod inderminatè crimen commiſſum ſit? &c.

2ª. ſpecialis in quâ tum perſona, tum crimen exprimitur, v.g. num Titius hoc homicidium commiſerit?

3ª. Eſt mixta, in quâ vel ſola perſona exprimitur, ut ſi inquiratur in vitam Titii, vel ſolùm crimen, ut ſi quæratur quis Titium noctu occiderit?

R. 4. Ut inſtituatur inquiſitio generalis, non eſt neceſsè ullam infamiam præcedere; ſed tunc ſubditi, etiam interrogati, non tenentur manifeſtare occultum crimen alterius; imò nec poſſunt ſi crimen tale ſit, quod non poſſit in judicio probari. Intellige de inquiſitione judiciali quæ fit in ordine ad pœnam juridicè infligendam.

R. 5. Ut contra aliquem inſtituatur inquiſitio ſpecialis tendens ad punitionem, vel debet præcedere aliqua infamia perſonæ de quâ inquiritur, vel certe debet eſſe aliquis accuſator.

Hinc neque poteſt judex reum de uno crimine infamatum juridicè interrogare de alio, de quo non eſt infamatus.

Excipiuntur quædam crimina, in quibus ob atrocitatem non prærequiritur prædicta infamia.

Conſulenda etiam eſt praxis tribunalium ordinaria.

R. 6. accuſatio ſufficit ad interrogandos productos teſtes. Ut autem reus interrogetur de ſeipſo requiruntur expreſſa indicia, aut infamia, aut ſemiplena probatio; niſi crimen ſit exceptum. Ut ante.

Q. 2. *Quandonam peccent judices uſurpatione judicii?*

R. 1. Qui judicant non ſibi ſubditum vel abſolutè, vel non in eâ causâ in quâ judicant, peccant mortaliter, & faciunt injuriam tum legitimo ſuperiori, tum partibus, tenenturque læſo ad reſtitutionem. Ita peccant judices ſæculares judicando Clericos in iis in quibus exempti ſunt ab eorum juriſdictione.

2. Eorum acta regulariter irrita ſunt.

3. Valent tamen acta judicis habentis titulum

coloratum quamvis ipſe peccare poſſit ita jus dicendo.

4. Etiam acta tyranni, ſive invaſoris pacificè imperantis ſunt valida. Quo etiam caſu tenetur ipſe jus dicere, quamvis abſolutè in eo peccet, quod pergat uſurpare poteſtatem alterius, ſeſe gerendo pro legitimo principe.

Q. 3. *Quam regulam ſequi debeat judex in ferendâ ſententiâ?*

R. In cauſis civilibus, & in criminalibus minoribus in quibus non agitur de capite aut mutilatione, ſed ſolum de mulctâ pecuniariâ, privatione officii, aut aliis bonis quæ Reipblicæ diſpoſitioni ad publicum bonum ſpectant, debet Iudex ferre ſententiam ſecundum allegata & probata, quantumvis privatâ ſcientiâ rem aliter ſe habere cognoverit. Eſt communis.

In cauſis criminalibus in quibus de pœnâ capitis aut mutilatione agitur, probabilius videtur non poſſe Iudicem morte damnare, quem privatâ ſcientiâ novit eſſe innocentem, quantumvis in judicio probatus ſit nocens. Sed tenetur potius officium cum quantolibet ſuo damno & periculo deponere. Adrian. Angelus, Petrus Navarra. Sa. Leſſ. Malder. Layman. wighers. Sylvius, Lugo &c. Ratio eſt quia vita innocentis non Reip. ſed ſolius Dei dominio ſubjecta eſt, qui ſolus eſt dominus vitæ & necis.

Oppoſitum tenent S. Thomas q. 67. art. 2. Covarr. & alii multi, præſertim Thomiſtæ. Qui tamen fatentur teneri Iudicem eo caſu quantùm poteſt innocentem eripere, accuſatorem ab initio repellendo ac deterrendo, teſtes diligentiùs iterum iterumque variis modis examinando, rei innocentiam publicè proteſtando: & ſi illa non proſint, debere cauſam ad ſuperiorem remittere, perſonam teſtis aſſumere, aut etiam denique offi-

cium Iudicis, ſi abſque magno incommodo poſſit, deponere.

Q. 4. *Ad quid tenetur Iudex qui ſententiam injuſtam tulit.*

R. Si eam inculpatè tulerit, tenetur retractare ſi poſſit ſine magno ſuo incommodo. Si autem ex malitiâ, aut ex imperitiâ eam tulerit, dicitur litem ſuam facere, & tenetur ad damni compenſationem. Quod item dicendum ſi perverterit ordinem juris, ut ſi indebitè inquiſitionem inchoaverit, ſi fraude v. g fictâ promiſſione impunitatis confeſſionem extorſerit, ſi torturæ indebitæ admoverit &c.

Si tamen reum alio titulo damnare poterat, cenſent varii excuſari à prædictâ compenſatione, quamvis graviter peccaverit: quia tunc injuria tantùm eſt in modo, non in ſubſtantiâ damni.

Q. 5. *An Iudex teneatur reſtituere pretium acceptum pro ferendâ ſententiâ?*

R. teneri, ſi illud acceperit pro ſententiâ juſtâ & debitâ quando ſcilicet habet juſtum ſalarium: quia jus naturale dictat non poſſe alteri vendi, quod jam ante ei debitum eſt ex juſtitiâ. Si autem pro injuſtâ ſententiâ pretium acceperit. probabiliter retineri poteſt juxta dicta cap. 6. §. 3. q. 1.

Q. 6. *An poſſit Iudex acceptare munera?*

R. Poſſe de jure naturæ, modò abſit ſcandalum, & periculum corruptionis: quæ quia frequenter ſubeſſe ſolent, meritò Scriptura paſſim reprehendit in judicibus acceptionem munerum.

Et eadem jure poſitivo prohibita eſt, exceptis quibuſdam xeniis eſculentorum & poculentorum, quæ paucis diebus conſumi poſſunt. l. *plebiſcito* 18. ff. de officio præſidis. capitulo cum *ab omni* de vitâ & honeſtate clericorum capitulo *ſtatutum.* de reſcriptis in 6.

Q. 7. *Quinam teneantur accuſatoris partes agere ?*

R. Exceptis iis qui ſtipendium in eum finem accipiunt, & ideò tenentur ex juſtitiâ, qualis eſt fiſcalis, & alii ſimiles, rarò incumbit obligatio accuſandi quando agitur de nudâ punitione.

* Duo præſertim caſus adferuntur. Primus quando crimen vergit in detrimentum boni communis, quod non apparet aliter vitari poſſe. Ad quod tamen plerumque ſufficit denuntiatio, ſive judicialis, quæ fit Iudici, & habenti poteſtatem puniendi; ſive canonica, quæ non fit ad punitionem, ſed tantùm ad damnum avertendum.

Secundus quando ex crimine adhuc pendente imminet periculum tertiæ perſonæ; quamvis in hoc caſu non teneamur cum noſtro periculo; quia unuſquiſque poteſt ſe, & ſua præferre bono perſonæ privatæ.

Nota accuſatorem quibuſdam caſibus poſſe ab inceptâ accuſatione deſiſtere, ut ſi res incipiat illi eſſe dubia, ſi videat probari non poſſe. In causâ tamen criminali non poteſt poſt litem intentatam deſiſtere ſine Iudicis authoritate, &, ſi deſiſtat, poteſt Iudex procedere per inquiſitionem.

Q. 8. *An teſtis à Iudice competente legitimè interrogatus teneatur veritatem dicere ?*

R. Teneri, per ſe loquendo, ſiquidem juſtè & juridicè interrogetur, ideſt, ſi præceſſerit infamia, vel juſta accuſatio, poſſitque delictum plenè probari.

Per accidens autem non tenetur variis caſibus:

1. Ut ſi rem noverit ex confeſſione ſacramentali.

2. Si ex declaratione delinquentis ipſi factâ ſub ſecreto, conſilii vel auxilii petendi causâ, neque crimen ſit in poſterum perniciosum,

3. Si ſecretum per injuriam extorſerit.

4. Si ſciat factum carere culpâ.

5. Si ex ſuâ teſtificatione ſibi vel ſuis notabile damnum prudenter timeat.

6. Si jubeatur dicere teſtimonium adversùs parentes, uxorem, filios &c. niſi in atrociſſimis criminibus, ut proditionis &c.

7. Si ſit Perſona privilegiata v. g. clericus, qui cogi non poteſt ad teſtandum coram Iudice ſæculari: poteſt tamen ſic teſtari in defectum aliorum & de conſenſu proprii Iudicis. Vide Leſſ. Layman &c.

Nota eum qui ſubterfugit teſtari cum poteſt & debet, non idcirco teneri ad reſtitutionem; quia violatio juſtitiæ legalis, vel charitatis, ex quibus ordinariè eſt ea obligatio, non inducit obligationem reſtitutionis.

Qui autem ſciens & volens falſum teſtatus eſt, tenetur illud revocare cum pari ſuo damno & periculo, etiam vitæ, ubi putatur revocatio profutura; quia in paritate melior eſt conditio innocentis: & ſi ejus teſtimonium influxit ad condemnationem, tenetur ad omnia damna ſecuta. Si autem inculpatè falſum teſtatus eſt, licet teneatur revocare cum poteſt prodeſſe, non tamen tenetur ad damna ſecuta.

Q. 9. *An & quando reus teneatur ad interrogata reſpondere?*

R. Si Reus examinetur non ſervato juris ordine, ut ſi non præceſſerit infamia, vel indicia ſufficientia, vel ſemiplena probatio, non tenetur fateri veritatem. Si tamen ſervato juris ordine interrogetur, juxtà S. Tho. q. 69. art. 1. & alios communius, tenetur aperire veritatem, quia tunc Iudex habet jus id præcipiendi. Oppoſitum tamen docent nonnulli alii citati à Dian. p. 2. tract. 1. Miſcel. Reſ. 27.

præſertim in cauſa capitis, & quamdiu eſt ſpes evadendi.

Q. 10 *Quid præterea poſſit, aut debeat reus ad ſui defenſionem?*

R. 1. Poteſt ad juſtam ſui defenſionem accuſatoris & teſtium occulta crimina revelare, ut eorum teſtimonium infirmet, ſervato tamen ordine inculpatæ tutelæ,

R. 2. Tenetur reus in conſcientiâ parêre Iudici ſecundum leges, & Iuris ordinem ſententiam ferenti, præſertim in civilibus, licet fortè habeat jus etiam probabile. Ratio eſt, quia oppoſitum eſſet obnoxium magnis perturbationibus in Rep. ſecus ſi ſententia ſit evidenter injuſta: tunc enim, ſecluſo ſcandalo, poteſt rem ſuam, licet alteri adjudicatam retinere, aut uti occultâ compenſatione.

R. 3. qui ad mortem injuſtè & non ſervato juris ordine damnatus eſt, poteſt, etiam per vim adverſus miniſtros ſe defendere: quia ſententia tunc eſt injuſta etiam in foro externo.

R. 4. reus fugere poteſt è carcere (ſecluſo juramento non fugiendi) etiam poſt juſtam ſententiam, ſi ſaltem ad mortem vel mutilationem ſit dãnatus; & etiam probabiliter ſi ad carcerem perpetuum præſertim gravem; ſecùs ſi ad temporarium. Ita DD. communius, juxtà quos etiam poteſt vincula, & carceres effringere; quia cui licitus eſt finis, etiam licita ſunt media. Non poteſt tamen inferre vim cuſtodibus; hoc enim eſſet vim poteſtati publicæ inferre reſidenti in Iudice & miniſtris, non in vinculis & foribus carceris. Poſſunt nihilominùs retracti à fugâ, & carcerum effractores juſtè puniri; vel ex præſumptione violentiæ illatæ cuſtodibus, vel ex lege, aut quaſi lege ob commune bonum receptâ, ut ne fugiant vel pœnam incurrant, quæ tamen

per ſe loquendo non eſt capitis, ſed alia mitior, Gomeſius to. 3. cap. 9.

R. 5. iis quibus licita eſt fuga, licitum eſt fugam ſuadere, & ad evaſionem inſtrumenta præbere: modò non ſint officiales, aut miniſtri juſtitiæ publicæ: non licet tamen eorum vincula rumpere aut per ſe carcerem effringere, quia alioqui nihil eſſet contra vim ſatis tutum.

De Advocatis dictum eſt tract. 2. c. 5. q. 5. quibus adde 1. Advocatum negligentem, aut imperitum teneri clienti ad reſtitutionem, ſi ob ejus culpam causâ ſuâ, alioqui juſtâ ceciderit.

2. Si ſtipendium lege taxatum ſit, peccare contra juſtitiam ſi plus exigat, niſi forte ratione diligentiæ extraordinariæ, aut niſi aliud habeat legitima conſuetudo.

Digitized by Google

TRACTATUS III.

DE RELIGIONE.

RELIGIO de quâ hîc, eſt virtus, quâ debitus Deo cultus exhibetur tanquam rerum omnium principio. Excellentia enim primi principii, ſeu primi entis eſt ratio, cur ſupremus Deo cultus debeatur & conveniat.

Objectum ejus materiale directum & proprium eſt Dei cultus, ſeu actus quo teſtamur Dei excellentiam.

Objectum formale eſt honeſtas ſpecialis quæ elucet in exhibitione iſtius cultûs.

Eſt igitur hæc virtus non Theologica, quæ pro objecto proprio & principali reſpicit Deum, & pro formali perfectionem aliquam Deo intrinſecam, ſed moralis, cùm verſetur circa cultum divinum, non immediatè ob bonitatem Deo intrinſecam, ſic enim eſſet actus charitatis, ſed ob honeſtatem in tali cultu relucentem.

Eſt tamen virtutum moralium excellentiſſima, tum quia habet objectum præſtantiſſimum, ſive indirectum, nempe divinam excellentiam, ſive directum & immediatum, nempe cultum Deo debitum, tum quia ex ipsâ ſuâ naturâ eſt maximè affinis virtutibus Theologicis. De Religione ſumptâ pro ſtatu Religioſo dicetur infra.

Actus Religionis ut virtus eſt, ſunt oratio, adoratio, votum, juramentum, &c. de quibus in ſequentibus.

CAPUT I.

De Oratione, & ſpeciatim de Horis Canonicis.

Q. 1. *Quid Oratio?*

R. Sumpta latè eſt quivis pius animi motus in Deum: magis ſtrictè eſt *petitio decentium à Deo* S.Thom. ex Damaſceno. Petitio autem eſt locutio quædam ſeu explicatio deſiderii, quod quis habet obtinendi quidpiam ex animo facta, ut ab eo, cui loquitur, illud obtineat. Hinc ſecundum S. Tho. & alios communius eſt actus rationis practicæ, licet Suares velit eſſe actum voluntatis. prout eſt Dei cultus, imperatur à religione, at prout eſt petitio ſalutis vel conducentium ad illam, imperatur à ſpe.

Q. 2. *Quinam obligentur ad horas canonicas?*

R. Obligantur 1. Clerici in ſacris conſtituti, quamvis hæc obligatio, præſertim quatenus ad Diaconos & Subdiaconos extenditur, non ſit fundata in ullo jure expreſſo; ſed in receptâ jam

olim conſuetudine. Obligantur autem univerſaliter quamvis nullum habeant beneficium, item quamvis ſint excommunicati, ſuſpenſi, depoſiti & degradati, quia nemo debet reportare commodum ex delicto.

Ab hâc tamen obligatione liberantur damnati ad triremes, quamvis ſint Sacerdotes.

Incipit autem hæc obligatio ab ipſo die quo ordinati ſunt: non tamen ipſo primo die obligantur ad officium integrum, ſed ad eam partem quæ reſpondet tempori quo ordinantur. Secundùm multos incipere debent à Nonâ, ſecundùm alios à Veſperis. Vide Layman.

Dixi *Clerici in Sacris conſtituti*, quia Clerici minorum Ordinum aut primæ tonſuræ ad nullas preces ex præcepto Eccleſiæ obligantur, nequidem ad Pſalmum Miſerere, qui ab Epiſcopo imponitur tantùm ex decentiâ.

2. Ad Horas obligantur Religioſi ad chorum profeſſi, quamvis nullum Ordinem habeant. Tenentur autem etiam ad privatim recitandum, ſi in choro non recitaverint. Idemque dicendum de Monialibus choro deputatis. Ratio obligationis eſt conſuetudo religionum univerſaliter recepta, de quâ licèt aliqui dubitent, & alii videantur velle ſolùm eſſe obligationem ex regulâ, quæ ordinariè non obligat ſub mortali: communiſſima tamen & in praxi ſequenda ſententia eſt; hanc conſuetudinem habere vim legis graviter obligantis.

Cæterùm conſulenda eſt timoratorum praxis, & pro Ordinũ ac Monaſteriorum vario uſu, obligatio variè interpretanda aut moderanda eſt. Unde ſi alicubi vigeat conſuetudo, ut Religioſi non ordinati, in ſtudiis, aut peregrè verſantes, horas non recitent excuſantur in conſcientiâ.

Eſt etiam probabilè & uſu receptum quod Prælatus poſſit in hâc obligatione ſicut in aliis ſtatu-

exprimendum docent Sanch. Leſſ. & alii; quia putant titulum beneficii, ultra obligationem religionis, inducere obligationem juſtitiæ.

Probabile tamen eſt quod docent alii apud Dianam p. 2. tract. de horis canonicis, reſ. 22. obligationem, quæ eſt ex titulo Beneficii, eſſe tantùm religionis, & conſequenter non eſſe peccatum duplex: ſicut ſi quis omittat horas habens duplex beneficium, aut obligatus titulo ordinis & profeſſionis in ordine deputato ad chorum.

Q. 6. *An ſatisfaciat, qui horas legit cum ſocio, & quomodo?*

R. ſatisfacere ex communi & recepto Eccleſiæ uſu, quod etiam verum eſt, licet ſocius ad horas non obligetur.

Item ſatisfacit qui aliis canentibus partem ſuam ſubmiſsè recitat, dummodò attendat ad ea quæ canunt alii.

Denique ſatisfaciunt & excuſantur à repetendo, qui dum alii canunt, occupantur neceſſariis chori miniſteriis, v. g. libros transferendo, thurificando, organa pulſando &c. quia in ſimilibus operantur tanquam pars chori.

Nota eos qui ſimul legunt, non poſſe alternos Pſalmos, ſed debere alternos Pſalmorum verſus legere. Item ſi plures quàm duo ſimul legant, non ſufficere, ſi ſinguli ſeorſim ex tribus v. g. vel quatuor verſibus, unum ſucceſſivè legant, quia hoc eſt contra praxim Eccleſiæ.

Q. 7. *An qui non poteſt totum officium legere, teneatur ad partem?*

R. teneri ad eas horas quas poteſt. Hinc ab Innocentio XI. damnata eſt hæc propoſitio 54ª. *qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem*

Q. 8. *Quod Officium ſit recitandum?*

R. poſt Bullam Pii V. quæ præfixa eſt Breviario Romano, omnes tam ſæculares quàm regulares, etiã exempti, tenentur ſervare formam Breviarii Romani, exceptis locis aut Eccleſiis, in quibus aliud Breviarium in uſu fuit per annos ducentos ante prædictam Bullam. Quibus tamen etiam permittitur ex Epiſcopi, ſeu Prælati, & univerſi capituli conſenſu aſſumere Romanum.

Qui autem in ſuâ Eccleſiâ utuntur Breviario particulari, ſive ſint ſæculares, ſive regulares, poſſunt privatim uti Romano, non tamen qui in Eccleſiâ ſuâ utuntur Romano, poſſunt privatim uti particulari, v. g. Benedictino.

Nota eos qui utuntur Officio novo Pii V. dum privatim Horas recitant, non obligari ad officium parvum B. Virginis, nec ad Officium defunctorum diebus, quibus id in rubricâ præſcribitur.

Qui verò utuntur Officio vetere, obligantur etiam ſub mortali, ubi conſuetudo ſub eâ obligatione recepta eſt. Vide prædictam Bullam Pii V. Tenentur tamen etiam qui officio novo utuntur ad officium defunctorum 2ª. Novembris, item ad Litanias in Feſto S. Marci, & diebus Rogationum, ſi proceſſioni non interfuerint.

Q. 9. *An liceat mutare diei officium?*

R. Non videri mortale, etiam deliberatè mutare officium in aliud juxta formam ejuſdem breviarii, v. g. officium de Sancto mutare cum alio æquivalenti, etiam de feriâ, præſertim ſi id rarò fiat. Ratio eſt quia talis implet præceptum quoad ſubſtantiam, licèt non modo debito.

Dixi *cum alio æquivalenti*, quia ſi eſſet enormis differentia quoad officia, ut ſi quis pro officio Dominicæ per annum, legeret officium Paſchale, non ſatisfaceret obligationi, quidquid dicat Caramuel. Unde ab Alexandro 7 damnata eſt hæc propoſitio, *in die Palmarum recitans officium paſchale ſatisfacit præcepto.*

Nota eum qui ex errore, aut inadvertentiâ cœpit recitare aliud officium, & notabiliter progreſſus eſt, poſſe proſequi ad ſervandam officii uniformitatem. Conſultius tamen eſt, ſecundum Lugo & alios, poſt abſolutam horam, ad quam perventum fuerat, recitare officium diei. Quòd ſi hodie recitaveris officium craſtinum de Sancto, putat Lugo l. 5. reſp. moral. dub. 8. rurſus recitari debere craſtinum, ne alioqui bis erres. Alii tamen putant poſſe eò caſu hodiernum de Sancto cras recitari, ne Sanctus ille pro hoc anno omittatur.

Q. 10. *Quo tempore ſit recitandum Officium?*

R. 1. In privatâ recitatione ſatisfit præcepto, ſi Officium legatur intra terminos diei naturalis, id eſt à mediâ nocte ad mediam noctem.

Matutinum tamen cum Laudibus ex conſuetudine legi poteſt pridie ab horâ circiter 4. pomeridianâ, ut ferè omnes recentiores, aut etiam ab horâ 3. ut Henriquez, Sanchez, Barboſa, Gavantus, Dian. & apud hunc p. 10. tr. 16. reſol. 47. multi alii.

Quod autem Diana cum aliis nonnullis addit, poſſe, ſaltem abſque mortali, Matutinum recitari etiam horâ 2., videtur nimis laxum, & ab aliis paſſim rejicitur. Vide Suar. c. 26. n. 13. in fine.

R. 2. Peccat tamen venialiter, qui abſque juſtâ causâ Horarum tempora non ſervat, ut ſi quis Tertiam differat poſt meridiem, aut Veſperas legat ante meridiem; excepto quadrageſimæ tempore.

Quòd ſi cauſa ſubſit, peccatum non eſt, ut ſi quis itineris, aut negotiorum causâ mane, ſimul perſolvat omnes Horas.

In quadrageſimâ, extra Chorum, Veſperas ante refectionem legere non eſt præcepti.

R. 3. Matutinum ſine causâ Sacro poſtponere, aut nullum eſt peccatum, aut ſaltem non mortale, etſi antiquiores aliter ſenſerint, abſque ſuffi-

cienti, quantum apparet, fundamento.

R. 4. Non eſt mortale invertere ordinem Horarum, ut ſi prima legatur ante Laudes; aut Matutinum dici ſequentis ante completum Officium præcedentis; imò nec veniale, ſi fiat ex inadvertentiâ, aut ex causâ legitimâ, ut ſi à viro gravi inviteris ad legendum ſimul Matutinum, cùm necdum legeris Completorium, vel ſi debeas cum aliis cantare Veſperas in Choro, cùm necdum legeris Nonam &c.

R. 5. Quælibet Hora legi debet continuatè & ſine interruptione, quantùm fieri poteſt. Non tamen peccat graviter, qui interrumpit, ſaltem in Officio privato: quia defectus non eſt in ſubſtantiâ, ſed in modo.

Quòd ſi ſubſit juſta cauſa, non erit peccatum: ut ſi ex Officio, vel mandato Superioris, vel ex charitate, occurrat opus aliquod faciendum, quod non poteſt commodè differri. Quando tamen ejuſmodi impedimenta prævidentur, anticipari debet, vel differri Officium, quantum fieri poteſt.

Poteſt etiam unum Nocturnum ſine peccato ſeparari ab alio per duas circiter horas.

Matutinum autem abſolutè ſeparari poteſt à Laudibus.

Q. 11. *Quomodò recitandum ſit Divinum Officium?*

R. Recitandum eſſe *ſtudiosè* & *devotè* ex Decreto Innoc. III. capitulo *dolentes* de celebratione Miſſarum. Ubi id præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ.

1. Igitur recitandum eſt *ſtudiosè*, ideſt, diſtinctè & perfectè, ſic ut neque voces omittantur, neque ſyllabæ abſorbeantur. Item pronuntiatio debet eſſe articulata, & ſenſibilis, & qualem, ſecluſis impedimentis, ipſe recitans, ſaltèm imperfectè percipere poſſit. Etſi enim per ſe non videatur

neceſſe, ut recitans ſe audiat, debet tamen proferri vox audibilis, quod moraliter fieri non poteſt, quin ſeclufis impedimentis aliquo modo audiatur à recitante.

2. Recitandum eſt *devotè.* ideſt, cum debitâ attentione & reverentiâ. Sed qualis, & quanta eſſe debeat hæc attentio, controvertitur. Pro quo

Q. 12. *Quæ attentio requiratur in recitatione Divini Officii?*

Nota 1. attentionem hîc diſtingui multiplicem. Nam 1. alia eſt interna, alia externa quâ quis ita exteriùs ſe gerit, ut nihil admittat repugnans attentioni internæ.

2 Ex S. Th. alia eſt attentio ad verba, ne quis ſcilicet in iis erret; alia ad ſenſum, alia ad Deum, aut rem pro quâ oratur.

3. Quælibet harum attentionum poteſt eſſe vel actualis, vel virtualis &c.

Nota 2. attentionem diſtingui ab intentione: hæc enim eſt actus voluntatis finem aliquem ſibi præfigentis, illa verò actus intellectûs, quo quis advertit ad id quod agitur à ſe, vel ab alio.

Nota 3. duo hîc eſſe certa, 1. enim certum eſt requiri aliquam intentionem in recitatione Officii Divini, nempe agendi cum Deo, quia abſque tali intentione, ſaltèm confusâ, recitatio Officii non poteſt habere rationem veræ orationis vocalis, quam Eccleſia præcipit, ut patet in eo qui Pſalmum legit ex intentione ſtudendi. Ratio ulterior eſt, quòd recitatio Officii externa de ſe ſit indifferens ut ſit oratio, ſtudium, exercitium memoriæ, irriſio &c. & conſequenter debeat ab intentione orandi, tanquam à formâ, determinari ut ſit oratio.

Non tamen requiritur intentio explicita, quâ quis initio Officii expreſsè velit Deum orare, ſed ſufficit implicita, quâ velit recitare Officium ad ſa-

tisfaciendum obligationi ſuæ, & præcepto Eccleſiæ : in hâc enim voluntate implicitè includitur voluntas, ſeu intentio Deum laudandi, orandi &c. cùm enim id quod ab Eccleſiâ præcipitur ſit laus Dei, & oratio, qui vult ſatisfacere præcepto, vult implicitè Deum laudare &c.

Certum eſt 2. requiri attentionem, ſaltèm externam, ideſt ceſſationem ab aliis actionibus, quæ ex naturâ rei ſunt incompoſſibiles cum attentione internâ : hanc enim ut minimùm requirit devotio ab Innoc. III. præcepta dicto capitulo *dolentes.*

Unde qui pingendo, ludendo, ſcribendo litteras, ſpectando comœdiam &c. Horas memoriter recitaret, non ſatisfaceret præcepto, uti nec fabulantes in Choro, dum alii reſpondent.

Quæſtio igitur eſt, an inſuper requiratur attentio interna, ſic ut eâ deficiente per voluntariam diſtractionem in notabili parte horarum, non ſatisfiat præcepto.

Duæ ſunt ſententiæ. 1ª. docet requiri attentionem internam, ſaltem virtualem : adeoque illum qui voluntariè diſtrahitur, non ſatisfacere præcepto. Pro hâc ſententiâ Diana p. 2. tract. de horis canonicis reſol. 2. citat Authores 37.

Altera ſententia docet ſufficere attentionem externam, adeoque recitantem horas cum voluntariâ diſtractione, implere præceptum ; ac proinde non teneri ad repetendum, vel reſtituendum fructum, ſi ſit beneficiatus. Ita Durand. Palud. S. Antoninus, Sylveſter, Comitolus, Coninck. Præpoſ. & alii apud Sanchez & Dianam.

R. 1. ut ſatisfiat præcepto Eccleſiæ, requiritur attentio ſaltem ad verba, cum eâ neceſſaria ſit, ut habeatur reverentia, & devotio exterior, excludaturque omnis actio repugnans religioſæ recitationi.

R. 2. non requiritur attentio interna ad ſenſum verborum, multi enim obligantur ad recitandas Horas, qui non intelligunt ſenſum verborum, ut Moniales.

R. 3. Videtur ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ præter intentionem cum Deo agendi, ſaltem implicitam, & attentionem tum externam tum internam ad verba, non eſſe neceſſariam aliam attentionem internam.

Prob. Quia cum tali attentione ſufficienter ponitur ſubſtantia rei præceptæ: nam vi prædictæ intentionis agendi cum Deo, ſeu laudandi Deum (quam ſuppono non interrumpi, adeoque perſeverare ſaltem virtualiter) oratio externa ſufficienter ponitur in eſſe orationis religioſæ, quæ præcipitur: ergo &c.

Dices: intentio Deum orandi interrumpitur per diſtractionem ſaltem voluntariam.

R. Diſtin. aſſumptum: intentio Deum orandi mentaliter, ſeu mente attendendi ad Deum, interrumpitur per diſtractionem voluntariam. C. Intentio Deum orandi vocaliter, aut attendendi, ſaltem confusè, ad ipſam pronuntiationem externam N. & hæc pronuntiatio externa continuata animo vacandi Deo, eſt verè oratio religioſa, nec ſufficienter probatur plus præcipi ab Eccleſiâ per præceptum legendi Horas.

Coll. Eum qui interiùs diſtrahitur, etiam voluntariè, probabiliter non teneri ad repetendum, & ſi ſit Beneficiatus, facere nihilominus fructus ſuos, nec facilè obligandum ad eos reſtituendos.

Confirm. Quia ſi attentio illa interna, ſive ad Deum, ſive ad ſenſum verborum &c. eſſet de ſubſtantiâ orationis vocalis, qui in tali oratione, ſaltem liberâ, voluntariè diſtraheretur, nullam committeret irreverentiam contra Deum adeoque nec venialiter peccaret, quòd eſt contra ſenſum

nem omni ex parte honeſtam : quod de Eccleſiâ, Horas Canonicas præcipiente, non præſumitur.

Q. 14. *Quanam excuſent à recitatione Horarum ?*

R. 1. gravis infirmitas, ut ſine magnâ difficultate, vel corporis periculo, recitari non poſſint. In dubio de ſufficienti infirmitatis gravitate, conſulendus ſuperior, vel confeſſarius, vel prudens ac probus Medicus, quorum judicio acquieſcendum: Quamvis enim medicus (uti nec confeſſarius) diſpenſare nequeat; poteſt tamen infirmum dubio liberare, & ſecundùm præſentes circumſtantias declarare juſtam excuſationis cauſam haberi.

R. 2. gravis vel repentina occupatio, quæ ſine ſcandalo, vel notabili detrimento proprio, vel alieno omitti, aut differri nequit; ſic quandoque confeſſarii in magno pœnitentium concurſu, uti & concionatores excuſari poſſunt. Si tamen ab iis recitatio Horarum intra eumdem diem naturalem anticipari, aut poſtponi poſſit ſine magnâ difficultate, ad id tenentur.

R. 3. recitandi impotentia, ut cæcitas, defectus Breviarii, ſi illud inculpatè amiſiſti, nec potes aliud habere. Hoc tamen caſu ſi totum Officium, aut notabilem ejus partem poſſis dicere memoriter, teneris.

CAPUT II.

De Voto.

Q. 1. *Quid Votum, & quæ ad ejus valorem requirantur?*

R. 1. Votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono.

Dicitur 1. *promiſſio*, quia includit voluntatem ſe obligandi; per quod diſtinguitur à propoſito quantùmvis firmo.

Dicitur 2. *Deo facta*: quia facta ſanctis non eſt propriè votum, niſi in honorem Sancti ad Deum ipſum immediatè dirigatur: votum enim eſt cultus latriæ ſoli Deo debitus.

Dicitur 3. *de meliori bono*, ideſt de eo quod omnibus ſpectatis melius eſt quàm oppoſitum. Unde malum nec validè, nec licitè voveri poteſt, imò nec res bona eſt materia voti, ſi ſit impeditiva majoris boni.

Hinc ſi quis voveat inire matrimonium ad vitandam conſuetudinem peccandi, poteſt nonobſtante voto, ingredi Religionem, aut amplecti continentiam; quia hoc abſolutè melius eſt: ex hypotheſi tamen quòd in ſæculo remaneat, & in occaſionibus peccandi, obligatur ad votum implendum, quia tunc hoc ei melius eſt.

Non poteſt etiam voveri res tam de ſe quàm reſpectivè ad finem indifferens.

R. 2. Præter hæc ad voti valorem requiruntur ſequentes conditiones.

1. Ut promiſſio ſit deliberata, ſeu facta cum

ſufficienti advertentiâ & qualis requiritur,& ſufficit ad peccatum mortale. Hinc non obligant vota facta in ebrietate, etſi fuerint prævisa.

2. Ut promiſſio ſit ſpõtanea,ſeu libera à coactione. Metus enim gravis injuſtè incuſſus ad extorquendum votum, illud invalidat ex communi, vel jure naturæ, ut volunt nonnulli, vel ſaltèm Iure Eccleſiaſtico capit *per latum* de his quæ vi. Quod licet tantùm agat de voto ſolemni, conſtituente Religioſum, ſic tamen receptum eſt, ut etiam extendatur ad votum ſimplex.

3. Conformiter ad dicta de Contractibus, votum factum ex errore, qui verſetur circa rei ſubſtantiam, vel circumſtantiam redundantem in ſubſtantiam, vel circa motivum formale principale eſſe nullum: ut ſi voveris iter Romanum, putans eſſe paucorum dierum, aut peregrinationem pro ſalute patris, quem falsò putabas ægrotare, aut alicui dare eleëmoſynam, quem falsò putabas eſſe pauperem &c. valebit tamen votum, ſi error ſit tantùm circa aliquam circumſtantiam accidentalem, non mutantem notabiliter objectum, vel quæ non cenſetur excluſa à vovente expreſsè, aut implicitè, ita ut vovens omnibus ſpectatis cenſeatur etiam caſum illum voluiſſe comprehendere.

4. Requiritur voluntas ſeu intentio ſe obligandi, ut ante dictum eſt. Hinc ſi quis intendat vovere, ideſt præcisè proferre voti formulam, nolens interim ſe obligare, non tenetur voto; cùm talis reipsà nolit vovere, ſed ſimulare. Alia eſt ratio de eo, qui ſic vovet, ut tamen nolit votum implere. Hic enim ex communi verè obligatur; quia voluntas vovendi, ſeu ſe obligandi, & voluntas adimplendi votum, ſunt diſtinctæ, poteſtque adeſſe prior ſine poſteriore. Patet à ſimili in contractibus.

5. Ut vovens ſit capax obligationis quam in-

tendit ſuſcipere : ſunt enim aliqui, quorum vota in certis circumſtantiis ipſo jure ſunt irrita , ut Profeſſio ante annum 16. &c.

Q. 2. *An & quale ſit peccatum vovere rem malam, vel indifferentem ?*

R, vovere rem malam , eſt peccatum mortale ; ob irreverentiam contra Deum : quamvis velint nonnulli tantùm eſſe veniale , ſi res ſit tantùm venialiter mala.

Vovere rem indifferentem eſt veniale. Si tamen res ſecundùm ſe indifferens, honeſta ſit ex fine, aliâve circumſtantiâ (ut ſi voveas non ampliùs adire talem domum, tales ſocios &c. ad vitandam peccandi occaſionem) bonum eſt votum.

Q. 3. *Quomodò votum obliget , & quo tempore ?*

Nota votum aliud eſſe perſonale ; per quod obligatur ipſa perſona voventis : aliud reale; per quod obligatur res voventis, v. g. pecunia, domus &c. aliud mixtum per quod obligatur tum perſona , tum res voventis. Ut ſi quis voveat peregrinationem ad B. Virginem Lauretanam, ibique offerre calicem argenteum.

R. 1. votum ex ſuo genere obligat ſub mortali, licet poſſit obligare ſub veniali ob parvitatem materiæ ; ut ſi voveris recitare ſemel *Pater* & *Ave.* ita DD. communiùs contra nonnullos.

Hinc ſi quis voverit rem parvam per plures dies faciendam, v g. ſemel *Pater* & *Ave* ſingulis diebus unius anni, ſic ut ex intentione voventis, obligatio cuique diei reſpondens extinguatur cum ipſo die , quaſi tot eſſent diſtincta vota, quot ſunt dies in anno , non peccat mortaliter eam rem penitus omittendo : ſecùs ſi obligationem non ita affixerit ipſis diebus ; nam tunc perſeverante obligatione; debitum quotidie creſcit per omiſſiones multiplicatas , atque ita deveniri poterit ad eam

quantitatem, quæ morali judicio cenſebitur notabilis, & ſufficiens ad mortale. Vide Leſſ. Tanner. &c.

R. 2. Votum perſonale tantùm obligat voventem, nec per alium impleri poteſt. Itaque qui vovit jejunium v. g. tenetur per ſeipſum jejunare, nec ſatisfacit ſi per alium jejunet, niſi vovens id intenderit, ſaltem implicitè. Ex quo etiam ſequitur ſi, quâvis ex causâ, votum per ſe implere non poſſit, non teneri alium ſubrogare, niſi alia fuerit voventis intentio; quæ in quolibet voto ſemper ſpectanda eſt.

Votum reale affixum eſt bonis voventis. Unde ſi quis voverit eleëmoſynam, & poſtea incidens in paupertatem non poſſit de ſuo votum implere, non tenetur alium rogare, ut nomine ſuo votum impleat. Hujus voti obligatio tranſit ad hæredes, non tamen ultra vires hæreditatis. Item priùs ſolvenda ſunt ea quæ defunctus debebat ex juſtitiâ.

Adde obligationem hæredis non eſſe religionis, ut fuit in defuncto, ſed juſtitiæ.

Votum mixtùm ex perſonali & reali tranſit ad hæredes, quatenùs eſt reale, ſi illa realitas ſeparari poſſit, ut ſi voveris peregrinationem; & in loco peregrinationis calicem argenteum, tenetur hæres ad dandum calicem, non item ad peregrinandum.

Aliud eſt de Profeſſione Religiosâ per quam, juxtà communem, extinguuntur omnia alia vota, etiā realia, nec hæredes in rigore ad ea obligantur, niſi is, in cujus favorem facta fuerant, jam ea antè profeſſionem acceptaverit.

Qui vovit factum alienum, tenetur curare quantum poteſt, ut is pro quo vovit illud impleat: hic tamen ad illud non tenetur, niſi conſenſerit. Hinc filii non obligantur votis parentum eos alicui Religioni devoventium: quamvis parentes tene-

antur quantùm poſſunt, procurare ut eam religionem ingrediantur.

R. 3. Tempus quo implendum eſt votum pendet ab intentione voventis. In particulari autem hæc ſunt dicenda.

1. Si pro nullo determinato tempore voveris, debes illud exequi quamprimùm commodè potes viri prudentis arbitrio; quamvis non continuò ſit mortale differre ad aliquod breve tempus, ſaltem quando votum poſtea integrè impleri poteſt.

2. Si diem vel tempus præfixeris, implere debes intra illud tempus. Quòd ſi omiſeris, peccaſti contra votum, nec ideò liberaris ab executione voti, ſed poſtea impleri debet; niſi ex intentione, aut voti naturâ, res promiſſa ſit affixa certo tempori: ut ſi quis voveat jejunium in vigiliâ alicujus Sancti, præcipuè in Sancti honorem: tunc enim obligatio cum die extinguitur.

R. 4. qui facto diligenti examine, dubitat an voverit, non tenetur voto, quia poſſeſſio ſtat pro libertate; ſecùs ſi ſciat ſe voviſſe, ſed dubitet an habuerit intentionem ſe obligandi, vel ſufficientem advertentiam &c. tunc enim poſſeſſio ſtat pro voto. Denique ſi certus ſit de voto quoad ſubſtantiam, ſed dubitet de quantitate, vel qualitate rei promiſſæ poteſt accipi benignior interpretatio, quia verba obligationem importantia ſic interpretanda ſunt, ut quàm minimùm obligent, ex cap. *ex parte* de Cenſibus.

CAPUT III.

De Votorum relaxatione.

Relaxatio voti fieri poteſt tripliciter: irritatione, commutatione, & diſpenſatione.

Irritatio eſt cum voti obligatio tollitur ab eo, cujus poteſtati ſubjecta eſt voluntas voventis, vel voti materia, ſic ut votum ab ejus conſenſu dependeat.

Commutatio eſt ſubſtitutio operis honeſti in locum alterius per votum promiſſi, eâdem obligatione remanente.

Diſpenſatio eſt cum ab habente poteſtatem, Dei nomine, voti obligatio condonatur.

Si votum ſit de re impoſſibili, vel abſolutè, vel moraliter ob turpitudinem, vel gravem de novo, & ab extrinſeco ſupervenientem difficultatem, vel nulla fuit, vel hoc ipſo tollitur ejus obligatio.

Q. 1. *Quæ vota, & à quibus irritari poſſint?*

R. 1. Omnia vota impuberum ſimpliciter, & directè irritari poſſunt à Patre, ex cap. *mulier* 32. q. 2. item à Tutore in defectum Patris, ab Avo in longâ patris abſentiâ, & à matre in horum defectum, & ſecundùm varios à magiſtro, aut quovis alio ſub cujus curâ exiſtit impubes. Ratio eſt judicii imbecillitas in eâ ætate. Si ante annum ætatis ſeptimum & uſum rationis ſufficientem votum emiſſum ſit, ſeipſo eſt irritum.

Poſſunt etiam vota impuberum irritari poſt tempus pubertatis, nec tantùm à Patre, tutore &c. ſed etiam à marito reſpectu uxoris in horum poteſtatem ſuccedente.

Similiter irritari poſſunt vota impuberum quæ facta ſunt in tempus pubertatis, ut ſi quis jam impubes voveat ingreſſum religionis cum adoleverit. Intellige hæc, niſi facti puberes vota ſua ratificaverint.

Vota puberum irritari non poſſunt, quamvis hi adhuc ſint ſub patriâ poteſtate, niſi quatenus obſunt diſciplinæ, & gubernationi familiæ. Et hoc titulo irritari poſſunt vota jejunandi, peregrinandi &c. item vota realia, niſi habeant bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia. Non item vota Caſtitatis, Religionis, certarum precum &c. quæ non obſunt gubernationi familiæ.

R. 2, maritus non poteſt omnia uxoris vota irritare, ſed tantùm quatenus obſunt ejus juri in corpus uxoris & adminiſtrationem familiæ. Et hoc titulo irritari poſſunt vota jejunandi, peregrinandi &c. non vota de certis precibus, aut eleëmoſynis faciendis, ex iis quorum ipſa habet adminiſtrationem.

Non poteſt item irritare uxoris votum de continentiâ ſervandâ poſt mariti mortem, nec probabiliter votum de non petendo debito, quia hæc non obſunt juri illius, cùm jus non habeat ut uxor petat, ſed tantùm ut reddat, cùm ipſe petierit.

Denique probabiliter non poteſt irritare uxoris votum de continentiâ deinceps ſervandâ; aut ingrediendi Religionem, ſi ex conſenſu, & pacto mutuo illud emiſſum ſit. Exiſtimant tamen nonnulli poſſe maritum omnia uxoris vota ſimpliciter irritare. Ita Diana p. 3. tract. 4. Reſol. 220. citans Malder. Sotum & alios.

Nota poſſe ſimiliter uxorem nonnulla mariti vota irritare, quæ nempe ipſius juri in mariti corpus obſint: eſt enim in hoc utriuſque conjugis par ratio.

R. 3.

R. 3. Prælatus ſeu ſuperior, quo nomine venit etiam Abbatiſſa, poteſt omnia Religioſorum, ſibi ſubditorum, vota irritare, exceptis votis, quæ ex inſtituto Religionis fiunt, item voto ſtrictioris Religionis. Ratio eſt quia cùm voluntas inferioris ſit perfectè ſubdita voluntati Superioris, omne votum, aut promiſſio inferioris ex Eccleſiæ diſpoſitione & uſu communi, habet in ſe tacitam hanc conditionem, niſi Prælatus re cognitâ contradixerit. Ita DD. communiter cum S. Thomâ.

Superior tamen Novitiorum non poteſt eorum vota directè & ſimpliciter irritare, ſed ſolùm ea ſuſpendere, quatenùs obſunt ipſorum gubernationi, idque pro tempore, quo illi ſubſunt: alioqui enim ſi Religione egrediantur, redit obligatio: ſi verò profeſſionem emittant, omnia vota ex juris diſpoſitione cenſentur commutari in vota Religionis.

Quòd ſi Prælatus aliquòd ſubjecti votum ratificavit, vel in illud conſenſit, poteſt nihilominùs illud poſtea irritare, quia per hoc quòd in illud conſenſerit, non deſinit eſſe Superior, & habere voluntatem inferioris adhuc ſibi ſubditam.

Q. 2. *Quinam poſſint vota commutare, & quomodò?*

R. 1. Poteſt unuſquiſque propriâ authoritate commutare votum ſuum in id quod manifeſtè melius eſt. Capit. *pervenit.* De jure jurando. Eſt autem hîc melius, non quòd ſecundùm ſe, aut ex genere ſuo eſt præſtantius, ſed quod omnibus ſpectatis cenſetur futurum Deo gratius.

In dubio an opus ſit melius, neceſſaria eſt authoritas commutantis; quia poſſeſſio ſtat pro voto.

An autem ſimiliter poſſit vovens commutare ſuum votum in aliud æquale controvertitur: affir-

mat Diana cum nonnullis aliis, quos citat p. 3. tract. 5. Miſcel. reſo. 25, negant alii communiùs.

R. 2. Ut fiat commutatio in opus bonum requiritur authoritas habentis poteſtatem ordinariam, vel delegatam. Debet autem is eâ prudenter uti, nec facilè illa commutare in notabiliter minus, quia in hoc intervenit aliqua partialis diſpenſatio; qui autem poteſtatem habet commutandi, non hoc ipſo habet poteſtatem diſpenſandi.

Notat Leſſ. peregrinationes, etiam longinquas, rectè commutari in jejunia, eleëmoſynas, confeſſiones, communiones &c. quæ licèt ſint faciliora, ſæpè tamen omnibus ſpectatis meritò cenſentur Deo gratiora.

Nota varios regulares habere poteſtatem delegatam commutandi, imò & diſpenſandi in votis. Qui autem poteſtatem habet diſpenſandi, habet & commutandi quod minus eſt.

Sunt tamen quinque vota jure communi, vel conſuetudine, Pontifici reſervata, in quibus proinde dicti Regulares nec diſpenſare, nec commutare poſſunt, niſi id ſpecialiter id fuerit conceſſum. Ea ſunt votum caſtitatis perpetuæ, ingrediendæ Religionis, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum in Compoſtellâ, & ultra marinum ſeu in Terram ſanctam.

Q. 3. *An & quæ cauſa requiratur ad commutationem voti?*

R. Ut commutatio fiat in evidenter melius non requiritur alia cauſa: ut autem in minus requiritur cauſa; quia tunc admiſcetur aliqua diſpenſatio.

Idem dicendum ſi in æquale: ideóque recurrendum eſt ad eum, qui habet poteſtatem commutandi. His tamen caſibus minor cauſa neceſſaria eſt

quam dùm eſt abſoluta diſpenſatio.

- Item minor cauſa requiritur ad commutationem in opus æquale, quàm in minus: & multi quidem putant ad hoc ſufficere majorem propenſionem voventis in opus ſubrogandum.

Si dubium ſit an opus ſit æquale, ſufficit quòd vovens patiatur notabilem moleſtiam in implendo quod vovit.

Hæc tamen ſunt intelligenda de commutatione, quæ fit per ordinariam poteſtatem Prælati, vel in virtute privilegiorum regularibus conceſſorum; alioqui dum fit virtute jubilæi, non requiritur alia cauſa, quàm ea, ob quam Pontifex concedit dictam facultatem, cum onere implendi opera in Iubilæo præſcripta.

Q. 4. *An poſt commutationem voti liceat voventi redire ad votum prius?*

R. affirm. præſertim quando non propriâ authoritate, ſed alterius facta eſt commutatio. Ratio eſt quia cum commutatio facta ſit in ejus favorem, poteſt ei renuntiare. Quòd ſi res in quam facta eſt commutatio, fiat impoſſibilis, non reviviſcit prioris voti obligatio.

Q. 5. *An commutari poſſit votum reale factum in favorem tertii?*

R. Si votum ab illo tertio fuerit acceptatum, non poteſt commutari abſque illius tertii conſenſu, quia per acceptationem jus illi acquiſitum fuit: ſecùs ſi non fuerit acceptatum, quia ſeclusâ acceptatione, neque per promiſſionem internam ſoli Deo factam; neque per externam non acceptatam, jus ullum homini acquiritur. Et hinc ſequitur neque in ejuſmodi voto poſſe diſpenſari cum præjudicio tertii.

Q. 6. *Quænam requirantur ad validam votorum diſpenſationem?*

R. Requiri poteſtatem in diſpenſante, & juſtam

cauſam, nam ſine juſtâ cauſâ non cenſetur Deus ratam habere condonationem, quæ ejus nomine fit.

Iuſtæ autem diſpenſandi cauſæ eſſe poſſunt: honor Dei, utilitas Eccleſiæ, ſpiritualis fructus voventis, periculum morale ſæpius violandi votum, imperfecta deliberatio in voto emittendo, metus incuſſus ab homine ad extorquendum votum, etſi non gravis, notabilis difficultas ſuperveniens executioni voti, aliaque id genus, quæ generaliter revocari poſſunt ad pietatem, utilitatem, & neceſſitatem. Sanchez lib. 4. moral. cap. 45. aliique communiter.

Cæterum rarò utendum eſt diſpenſatione, cum rarò interveniant cauſæ ſufficientes ad diſpenſandum, quippè quæ debeant eſſe multò graviores quã ad commutandum.

Si autem is qui commutat, etiam habeat facultatem diſpenſandi, optimum conſilium eſt ut commutationi ſemper admiſceatur aliqualis diſpenſatio.

Nota quinque vota de quibus q. 2. eſſe etiam Pontifici reſervata quoad diſpenſationem: quo non obſtante poſſunt Epiſcopi, & regulares habentes privilegium, diſpenſare in aliis votis quamvis ſint iis affinia, ut in voto ordinis ſacri, Religionis non approbatæ, Religionis ſtrictioris, caſtitatis non perpetuæ, non nubendi, non petendi debitum &c.

Item juxtà quoſdam poſſunt diſpenſare, ſi votum alioqui reſervatum, ex aliquâ conditione non ſit omninò abſolutum: ut ſi ſit pænale hoc modo: ſi in tale peccatum iterum incidero, voveo ingreſſum in Religionem: vel ſi ſit conditionatum hoc modo: ſi convaluero: ſi hoc periculum vitæ evaſero &c. voveo perpetuam caſtitatem, contrarium tamen præſertim pro votis conditionatis eſt probabilius.

Item diſpenſari poteſt ſi votum injuſto metu, quamvis levi, ſit extortum; ſi ſit alternativum, & altera pars reſervata non ſit, ut voveo peregrinationem ad limina Apoſtolorum, aut eleemoſynam 100. aureorum.

Denique dubium de valore voti, quod per ſe non ſufficit ad liberandum voventem, poteſt tamen ſufficere ut votum non cenſeatur reſervatum. Suar. Sanch. &c. Atque hæc etiam applicari poſſunt commutationi.

Q. 7. *An valeat diſpenſatio data bonâ fide, ſi deinde deprehendatur eſſe data ſine causâ ſufficienti?*

R. Leſſ. & Sanch. affirmant eſſe validam; ſicut & in caſu, quo diſpenſatio data fuerit cum causâ dubiâ, & ut tali explicatâ, ſed deinde invenitur fuiſſe nulla. Negat Caſtropalao putans votum obligare ubi comperta fuerit cauſæ inſufficientia: utraque ſententia eſt probabilis.

CAPUT IV.

De Juramento.

Q. 1. *Quid juramentum?*

R. Eſt invocatio Divini Nominis in teſtimonium alicujus rei.

Dicitur *invocatio*, nempè vel expreſſa, ut cum Deus in ſeipſo invocatur, ut *teſtis eſt mihi Deus*, *juro per Deum &c.* vel tacita, cum invocatur nobilior aliqua creatura ſpecialem habens relationem ad Deum, cujus potentia, bonitas &c. in eâ maximè elucet, ut *juro per Cœlum*, *terram &c.*

Ut licitè fiat, tria requiruntur. 1. Ut fiat cum veritate: nam id jurare, quod falſum eſt, aut etiam

dubium juranti, eſt perjurium & peccatum mortale, etiamſi res de quâ juratur ſit in ſe levis.

2. Ut ſit de re licitâ: nam jurare abſque juſtitiâ, ſive rem illicitam, eſt duplex peccatum mortale, ſaltem quando res eſt graviter illicita.

3. Ut fiat ex neceſſitate, ſeu juſtâ causâ. Qui tamen ſine hâc jurat rem licitam, & cum veritate, ordinariè ſolùm peccat venialiter. Itaque ad juramentum licitum requiruntur veritas, juſtitia & neceſſitas.

De juramento hæ ſunt propoſitiones damnatæ ab Innoc. XI. 24. *vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* 25. *Cum causâ licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

Nota 1. varias eſſe formulas, quæ vulgò vocantur juramenta, reipsà tamen non ſunt. Talia ſunt; *per fidem meam*, *in veritate* (niſi addatur in veritate Dei) *in conſcientiâ meâ* ſeu *ſuper meam conſcientiam.* Item *in fide Chriſtiani*, *Religioſi*, *Sacerdotis* &c. ſi tantùm ſenſus ſit eâ fide, ſeu fidelitate rem aſſeri, quam æquum eſt habere Chriſtianum, Sacerdotem &c.

Habenda tamen eſt ratio uſûs, & ſpectandæ circumſtantiæ, itemque proferentis intentio: quia fieri poteſt, ut ea formula vim habeat juramenti, qualiter dicit Sanchez hanc formulam: *in verbo Sacerdotis* ex uſu accipi ut juramentum. Magis dubie ſunt hæ formulæ: *Deus ſcit: coram Deo aſſero &c.* & ideo non facilè uſurpandæ. Vide Sanchez lib. 3. Summæ cap. 2.

Nota 2. has formulas: *abnego Deum*: *volo debaptizari* &c. non tam eſſe juramentum quàm blaſphemias, quibus Deum, vel Baptiſmum tanquam nobis inutiles rejicimus, niſi fiat quod dicimus.

Similiter hæ formulæ *per mortem*, *per caput*,

per ventrem Dei &c. ſunt potiùs blaſphemiæ quàm juramenta, quia videntur ea Deo affingi, quæ illi non conveniunt.

Poſſunt tamen hæ poſteriores eſſe juramenta; quibus aſſeratur *rem tam eſſe veram quàm Deum, ideſt Chriſtum mortuum eſſe, habuiſſe verum caput &c.* quo ſenſu formulæ illæ affines ſunt huic, *vivit Deus*, quæ eſt formula jurandi in Scripturis paſſim uſitata; & idem eſt ac *per Dei vitam.*

Ly *juro* præcisè, & ſine addito, cùm ſit indifferens ad jurandum, vel per Deum, vel per fidem, vel per barbam (ut ait Suares) ideo ibi ſiſtendo non eſt juramentum, niſi accedat intentio vocandi Deum in teſtem.

Nota 3. cùm ad juramentum formale requiratur intentio vocandi Deum in teſtem, ſæpè fieri ut quis proferat verba juratoria ſive ex levitate & inadvertentiâ, ſive ex conſuetudine & iracundiâ, vel aliâ paſſione, & tamen non juret formaliter; adeòquè nec ex eo capite mortaliter peccet, licèt falſum affirmet. Sanchez, Layman, Filiuc. &c.

Hinc cùm dicitur jurantem ex conſuetudine, licèt non ſatis deliberatè id faciat, peccare tamen mortaliter, intelligendum eſt de eo, qui advertens ſe ſolitum jurare & pejerare, non tamen conatur, nec vult eam conſuetudinem deponere.

Q. 2. *An liceat juramentum exigere ab eo qui putatur pejeraturus?*

R. id licere ex gravi causâ, ſive id fiat in judicio, ſive extra. Suarez, Sanchez, Palao &c. ratio eſt quia petitio juramenti ex causâ, de ſe eſt honeſta: quòd autem malè fiat juramentum oritur ex malitiâ jurantis, non ex eo qui ex causâ rationabili illud exigit.

Q. 3. *Quotuplex juramentum?*

R, Eſſe multiplex: nam 1. aliud eſt ſimplex, aliud ſolemne, quod certam requirit verborum for-

mulam, vel corporalem alicujus rei contactum v. g. Evangeliorum.

2. Aliud eſt conteſtatorium, quod fit per ſimplicem Divini Nominis conteſtationem, aliud execratorium, ut cum jurans vel ſibi, vel alicui perſonæ ſibi dilectæ, à Deo, tamquam veritatis teſte, malum imprecatur, ſi pejeret; hùc refertur hæc formula: ſic *me Deus adjuvet*: item hæc *volo mori, dæmon me auferat* &c.

3. Aliud eſt aſſertorium, quo confirmatur dictum de præſenti, vel præterito.

4. Aliud promiſſorium, quo quis ſe obligat ad aliquid faciendum in futuro.

Q. 4. *Quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii?*

R. 1. Si ſit de re honeſtâ, eâque gravi, obligat ſub mortali, ut clarum eſt. Idem dicunt quando eſt de re levi, Gabriel, Cajet. Val. Leſſ.

Probabile tamen eſt quod docent Sylv. Sotus, Suar. Sanchez, Tanner. &c. tunc tántùm obligare ſub veniali. Ratio eſt quia qui ita jurat, non invocat Deum propriè in teſtem futuræ executionis, ſed tantùm in teſtem promiſſionis, ſeu præſentis propoſiti, quod propoſitum, ſi tunc non habeat, peccat mortaliter, & eſt perjurus.

Deinde intuitu nominis Dei intendit ſe formare ad non mutandam voluntatem, ſed proportionate ad exigentiam materiæ. Unde ſi poſtea non exequatur iſtam voluntatem, non eſt propriè perjurus, nec mendax, ſed infidelis. Vide Dianam p. 4. tr. 4. reſo. 60. aut 70.

Juxta hanc ſententiam ſi juraveris te non bibiturum vinum, non erit mortale ob parvitatem materiæ, ſi exiguum hauſtum ſumpſeris.

Item ſi juraveris te ſervaturum omnia ſtatuta alicujus communitatis, non erit mortale, ſi ex plurimis leve aliquod violaveris, vel ſi ex ſummâ

quam te ſoluturum juraſti, aliquot aſſes detraxeris &c.

R. 2. Si res juramento promiſſa ſit indifferens, nulla eſt obligatio, niſi juramentum ſit præſtitum in favorem alterius, tunc enim deſinit eſſe indifferens. Ratio eſt quia juramentum promiſſorium ſolùm obligat per modum voti, votum autem de re indifferenti non obligat.

Idemque dicendum quamvis juramentum non ſit propriè promiſſorium, ſed ſimpliciter aſſertivum de opere aliquo faciendo, ut ſi quis ex irâ aut aliâ paſſione iuret ſe hodie non ambulaturum, talem domum non ingreſſurum, nullo honeſto fine ſibi propoſito; quia etiam tunc non cenſetur Deus velle hoc fieri ob ſui nominis reverentiam. DD. communiter.

Q. 5. *Quibus modis tollatur obligatio juramenti?*

R. Iiſdem ferè modis quibus votum.

1. *Irritatione*, quando vel perſona, vel voluntas jurantis, vel materia juramenti eſt ſubjecta alterius poteſtati, ut contingit in Religioſo, impubere, ſervo &c.

2. *Commutatione*, quomodo juramentum Deo factum, poteſt unuſquiſque mutare in melius; quia tale juramentum æquiparatur voto: probabile etiam eſt eum, qui poteſtatem habet ordinariam, vel delegatam, ſive ex privilegio, ſive aliter vota commutandi, poſſe eadem commutare, quamvis jurata; ſaltem cùm ſunt vera vota, & juramentum eſt tantùm acceſſorium.

Dixi *Deo factum*, quia factum homini, & ab eo acceptatum, non poteſt à jurante, aut quovis alio commutari, aut relaxari ipſo invito, niſi interceſſerit injuria, aut aliud poſtulet bonum commune. Si non ſit acceptatum, poteſt commutari, aut etiam relaxari ab habente poteſtatem. Etiam acceptatum

Digitized by Google

poteſt commutari, imò & condonari ab eo, in cujus favorem factum eſt: & tunc obligatio ad opus in quod fuerit commutatum, erit ex pacto, non ex juramento.

3. *Diſpenſatione*, ut de voto ſuprà. Communior autem ſententia eſt, contra nonnullos apud Sanchez, juramenta pia quæ ſunt circa materiam quinque votorum Pontifici reſervatorum, eidem eſſe reſervata.

CAPUT V.

De ſtatu Religioſo.

Q. 1. *Quid ſtatus Religioſus, & quæ ad ejus eſſentiam requiſita?*

R. Status religioſus definiri ſolet, ſtabile vitæ inſtitutum, ab Eccleſiâ approbatum, tendens ad perfectionem per tria vota, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ. Ad ejus eſſentiam hæc requiruntur,

1. Tria vota jam dicta, quæ ſubſtantialia dicuntur; ſuntque de ſe perpetua.

2. Traditio facta ſuperiori, quâ vovens illi ſe tradit irrevocabiliter ex parte ſuâ, hæc traditio fit realiter per votum obedientiæ in manibus admittentis, & acceptantis vota.

3. Approbatio Pontificis, qui hanc ſibi poteſtatem reſervavit cap. ult. de Religioſis domibus, & cap. unico. tit. eodem in 6.

Q. 2. *An ad conſtituendum Religioſum neceſſaria ſint vota ſolemnia, ſeu profeſſio?*

R. Non eſſe neceſſaria, ſed ſufficere ſimplicia vota. Et hoc ita nunc certum eſt, ut oppoſitum

ſit erroneum ex Bullâ Greg. XIII. quæ incipit *aſcendente Domino :* ubi Pontifex motu proprio declarat, ac definit, eos, qui in Societate JESU, poſt biennium probationis, tria vota ſubſtantialia Religionis, tametſi ſimplicia emittunt, eſſe verè ac propriè Religioſos, non ſecùs atque ipſos tum Societatis, tum aliorum Ordinum profeſſos &c. præcipitque in virtute obedientiæ, & ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ &c. ne quis hanc definitionem quovis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore, directè vel indirectè impugnare, vel ei contradicere audeat. Vide de his plura apud ſcholaſticos.

Col. ad ſtatum religioſum abſolutè non requiri votorum indiſſolubilitatem, nec inhabilitatem ad matrimonium, aut ad dominium alicujus rei.

Non Primum, quia ad ſtatum propriè dictum ſatis eſt, quòd Religioſi ſeipſos votorum vinculis eximere non poſſint, ut patet in ſervo, qui rectè dicitur eſſe in ſtatu ſervitutis, quamvis poſſit illum dominus manu-mittere.

Adde ipſos etiam profeſſos ex communi, poſſe authoritate Pontificis ſuis votis ſolvi.

Non ſecundum, quia vinculum matrimonii ſecundùm ſe non eſt incompoſſibile cum ſtatu religioſo, ut patet ex eo quòd conjux, ex alterius conjugis conſenſu, poſſit in aliquâ Religione profeſſionem emittere.

Non tertium, quia cum dominio alicujus rei poteſt conſiſtere paupertas religioſa, modò talis Religioſus de re ſuâ diſponere non poſſit, niſi de conſenſu Superioris.

Q. 3. *Quænam requirantur ad valorem profeſſionis religioſæ ?*

R. Requiritur 1. ætas, quæ ante Trident. minor ſufficiebat, ſed poſt Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. de regular. pro quovis Ordine requiritur an-

nus ætatis decimus ſextus completus.

2. Ut annus probationis ſit completus.

3. Ut adſit animus, ſeu intentio profitendi.

4. Ut vovens nec fraude nec metu inductus ſit ex cap. 1. De his quæ vi.

5. Ut non habeat impedimentum, quod in illo ordine ſit eſſentiale.

Quod ſi aliqua iſtarum conditionum deſit, vota ſunt quidem invalida, ſed vovens reclamare debet ante quinquennium à die profeſſionis Trid. ſeſſ. cit. c. 19.

6. Ut fiat conſentiente eo, cujus eſt incorporare Religioni.

7. Ut in religione approbatâ.

8. Ut ſit perſona ſui juris, id eſt non ſervus, non conjugio obſtrictus.

Q. 4. *Qui ſint effectus Profeſſionis Religioſæ?*

R. 1. Non tantùm tradit profitentem in jus & quaſi dominiũ ſuperioris (quod commune eſt omni voto conſtituenti Religioſum) ſed id facit omninò indiſſolubiliter, ſic ut ſuperior, etiam ex parte ſuâ, non poſſit hoc jus totaliter à ſe abdicare.

2. Facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, quod etiam nunc competit votis ſimplicibus ſcholaſticorum in Societate ex Bullâ Greg. XIII. citatâ.

3. Diſſolvit matrimonium ratum, non conſummatum, quod votis aliis non competit. De quo in Tract. de matrimonio.

4. Conſtituit Profeſſum incapacem omnis dominii; ut item apud nos vota, quæ dicimus coadjutorum formatorum.

5. Solvit cætera vota ſimplicia.

Q. 5. *An poſſit Pontifex diſpenſare in votis ſolemnibus?*

R. poſſe Pontificem ex gravi causâ diſpenſare in voto ſolemni etiam caſtitatis. Ita communiùs,

Canoniſtæ, & Theologi contra Thomiſtas, qui cum velint ſolemnitatem ſubſtantialem votorum religioſorum competere votis ſolemnibus ex rei naturâ, & jure divino, conſequenter docent non poſſe Pontificem in iis, ſaltem in voto ſolemni caſtitatis, diſpenſare.

Prob. noſtra reſponſio ex oppoſitâ ratione: ſolemnitas ſubſtantialis votorum religioſorum non eſt ex rei naturâ, aut jure divino, ſed ex ſolo jure Eccleſiaſtico, ergo poteſt Pontifex in iis diſpenſare.

Antecedens de quo controvertitur prob. 1. ex cap. unico. de voto,& voti redemptione. in 6. ubi Bonifac. VIII, expreſsè dicit: *Voti ſolemnitas ex ſolâ conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa*

Prob. 2. ex Bullâ Gregorii XIII. ſup. ubi Pontifex definit eos, qui in Societate emiſerunt vota, ſive ſimplicia, ſive ultima coadjutorum, eſſe verè ac propriè religioſos, licèt non emittant vota ſolemnia profeſſionis, & repetens ſupra dicta verba Bonifacii, in iis fundat definitionem ſuam: *cùm enim* (inquit) *votorum ſolemnitas ex conſtitutione Eccleſiæ inventa ſit, potuit Eccleſia eos admittere, & de facto admiſit tanquam veros* Religioſos, *etiam ſeclusâ illâ ſolemnitate.*

Unde Baſilius Pontius lib.7. de matrimonio cap. 7. n. 3. putat non tantùm eſſe de fide vota ſimplicia &c. in Societate facere Religioſum, ſed etiam eſſe de fide ſolemnitatem profeſſionis, eſſe inductam ab Eccleſiâ.

Quòd autem poſſit Pontifex gravi ex cauſâ diſpenſare, etiam in voto ſolemni caſtitatis:

Ulteriùs prob. 1. quia juxta adverſarios poteſt Pontifex diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis annexo Sacris Ordinibus: ergo etiam in voto caſtitatis ſolemniter emiſſo in Religione.

Prob. 2. Quia de facto Pontifices nonnum-

quam diſpenſarunt in ſimili voto caſtitatis, ut teſte Antonino, cum Conſtantiâ, Filiâ Regis Siciliæ profeſsâ, ut nuberet Frederico Imperatori. Item cum Ramiro Arragonum Rege, cum Caſimiro, primo Poloniæ Rege &c. de quibus vide Cajet. Azor, Leſſ. &c.

In dubio autem pro Pontificum geſtis præſumendum eſt.

Nec refert quòd non poſſit quis de Sacerdote fieri non Sacerdos: ex quo videtur ſimiliter dicendum quod non poſſit quis de Religioſo profeſſo, fieri non Religioſus. Diſparitas enim eſt quod conſecratio Sacerdotis fiat per impreſſionem caracteris indelebilis, ut dicitur in tract. De Sacramentis, non item conſecratio religioſi.

Q. 6. *Ad quid teneatur Religioſus vi cujuſque voti?*

R. 1. Ex voto obedientiæ tenetur 1. ad ſervandam regulam, juxta vim obligationis ejus in unâquâque religione.

2. Ad obediendum ſuperiori præcipienti juxta regulam, & quidem ſub mortali, quando ſuperior id ſe intendere ſufficienter declarat, ut ſi præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ &c. non tamen ſi præcipiat contra, vel ſupra regulam: ut ſi quis juberetur nudis pedibus perpetuò incedere, vel cibis quadrageſimalibus ſemper uti in religione, quæ id non profitetur.

3. In dubio de ſuperioris authoritate, non tenetur parere, niſi communis præſumptio ſuperiori faveat. Quòd ſi conſtet de authoritate, & dubium ſit de materiâ, an ſit licita, vel cadat ſub ejus poteſtatem, deponendum eſt dubium, & præſumendum pro ſuperiore, niſi ſic obediendo immineret ſubdito, vel alteri grave incommodum, & non obediendo nihil ejuſmodi metuendum eſſet. Ita Leſſ. &c.

R. 2. Ex voto caſtitatis tenetur Religioſus non tantùm abſtinere à conjugio; ſed etiam ab omni actu, tum interno, tum externo caſtitati repugnante. Alioqui peccatum ſortitur duplicem malitiam, unam luxuriæ, contra virtutem caſtitatis; alteram ſacrilegii, contra votum.

R. 3. Ex voto paupertatis tenetur 1. nihil habere proprium, de quo pro libitu abſque dependentiâ à ſuo ſuperiore diſponere poſſit.

2. Eorum quæ habet nihil abſcondere, ut illud ſubtrahat liberæ diſpoſitioni Superioris.

3. Nihil ſeu domi, ſeu foris accipere, donare, commodare, permutare poteſt ſine conſenſu ſui Superioris expreſſo, vel tacito, vel rationabiliter præſumpto.

4. Rem determinatè conceſſam ad unum uſum non poteſt expendere ad alium, etiam honeſtum. Ad turpem autem, vanum &c. nequidem Superior poteſt facultatem dare, nec inferior uti conceſsâ. Vide dicta tract. de Iuſtitiâ & Iure cap. 3. q. 11. Si res ſit gravis, erit mortale, etiam aliquando contra juſtitiam, ut ſi inferior invito ſuperiore aliquid uſurpet de rebus Monaſterii. Debet tamen ſuperior eſſe invitus, non tantùm quoad modum acceptionis, ut ferè fit in iis quæ ad victum, & veſtitum pertinent, ſed etiam quoad ſubſtantiam. Vide Lugo diſp. 3. ſect. 7. ubi notat attendendas eſſe leges ſpeciales cujuſque inſtituti, quia fieri poteſt, ut quod fortè non repugnat religioſæ paupertati ſpectatæ in genere, repugnet tamen paupertati, ut eſt propria talis vel talis Religionis. & verò quædam, quæ ex mente DD. permittuntur in aliis Religionibus, non permittuntur in noſtrâ Societate, repugnante ejus inſtituto, quoad hæc ſtrictiſſimo

Col. Religioſum profeſſum non poſſe quidquam ſibi acquirere, ſive ſuâ induſtriâ, ſive hæredita-

ſiâ ſucceſſione : cùm enim ſit inſtar ſervi, quidquid acquirit, acquirit Monaſterio.

Hinc jure communi poteſt quidem, etiam poſt profeſſionem ſuccedere, non tamen in ſuum commodum, ſed Monaſterii.

Imò ſi Monaſterium habeat jus ſuccedendi, omnia ejus bona, de quibus ante non diſpoſuit, per profeſſionem, in Monaſterium tranſeunt. Authent. *ingreſſi* & Authent. *ſi qua mulier* cod de Sacro-ſanctis Eccleſiis. Et cap. *quia ingredientibus* 19. q. 3. per ſtatuta tamen particularia variorum locorum (ut paſſim in Belgio) quoad hunc effectum derogatum eſt juri communi.

CAPUT VI.

De Adoratione, item Cultu Sanctorum & Sacrarum Imaginum.

Q. 1. *Quid ſit adoratio?*

R. Adoratio definiri ſolet honor alteri exhibitus in proteſtationem ſubmiſſionis ob aliquam ejus excellentiam.

Differt ab honore generatim ſumpto, quòd etiam æquales aut inferiores honoremus, non adoremus, niſi ſuperiores.

Adoratio ſtrictè ſumpta exhibetur ſoli excellentiæ increatæ, paulò latiùs, etiam creatæ.

Q. 2. *Quotuplex adoratio?*

R. Dividi ſolere 1. in externam & internam, quamvis externa non habeat propriè rationem adorationis independenter ab internâ, cum quâ facit unum in genere moris, & à quâ accipit liberta-

tem

tem , ac bonitatem moralem.

2. Et præcipuè in Latriam, Duliam, & eam quam vocant politicam. Quæ diviſio petitur ex triplici ratione excellentiæ, quam in altero reſpicit.

Latria reſpicit excellentiam increatam, ac proindè ſoli Deo per ſe, ac directè exhibetur.

Dulia reſpicit excellentiam creatam ſupernaturalem, & hæc exhibetur Sanctis. Quæ verò Dei Matri exhibetur ob ejus ſupra reliquos Sanctos ſingularem excellentiam, dicitur *hyperdulia.*

Politica reſpicit excellentiam creatam naturalem, & exhibetur hominibus ob poteſtatem, ſapientiam &c. ſic in Scripturâ Abraham dicitur adoraſſe filios Heth. Gen. 23. Bethſabee & Nathan, adoraſſe Davidem 3. Reg. 1.

Q. 3. *Quâ adoratione Chriſtus ut homo ſit adorandus?*

R. Hic homo, qui dicitur Chriſtus, eſt ſimpliciter adorandus latriâ, eſt de fide contra Neſtorium ex Conc. Epheſ. & aliis. Et patet, quia Chriſtus eſt verus Deus, imò & ipſa Chriſti humanitas unà cum verbo adoranda eſt adoratione latriæ, ſic tamen ut dum Chriſtus adoratur, verbum ſit objectũ primarium adorationis, non tantùm materiale, ſed etiam formale, cùm adoretur ratione ſui, ſeu propter intrinſecam excellentiam, humanitas autem tantùm ſecundarium, & quaſi per accidens, cùm adoretur tantùm concomitanter, in quantum eſt aliquid ſuppoſiti, in quod ut terminum proprium directè & per ſe tendit adoratio. Unde juxta Epiphan. *Humanitas non tam adoratur, quàm coadoratur.*

Q. 4. *An Sancti in Cælis regnantes ſint colendi?*

R. affirm. nempe cultu duliæ, eſt de fide contra Calvinum, alioſque hæreticos.

Prob. 1. Ex 7. Synodo actione 7. ſeſſ. 25. de invocatione Sanctorum.

Prob. 2. Ex variis exemplis in Scripturâ Sa-

T

crâ, ut Abrahami, Loth. Iosuë, & aliorum adorantium Angelos.

Prob. 3. Ex perpetuo Eccleſiæ uſu.

Prob. 4. Ex PP. apud Bellarmin.

Prob. 5. Ratione: quia unicuique deferri poteſt cultus aliquis propter ejus excellentiam in quâ nobis eſt ſuperior: ergo & Sanctis.

Q. 5. *An uſus & cultus imaginum ſit licitus?*

Nota varios in hâc materiâ fuiſſe errores, tum veterum, tum recentiorum hæreticorum.

Primus eſt eorum, qui dixerunt imagines omninò eſſe abolendas. Ita Iconoclaſtæ.

Secundus eorum, qui dixerunt privatim haberi poſſe, non tamen in Templis colendas exponi poſſe. Calvinus cum ſuis.

Tertius eorum, qui illas in Templis etiam admittunt, ſed ad ornatum, aut memoriam, non ad venerationem. Ita Lutherani, & olim quidam primæ Synodi tempore; qui ideò in eâ Synodo vocantur ſemi-probi, & falſo-veri.

Rursùm aliqui admiſerunt imagines Chriſti & Sanctorum, non tamen Dei & Angelorum, quippe, qui cùm ſint incorporei, nec figurâ nec coloribus exprimi poſſint.

R. 1. Licitus eſt uſus imaginum etiam in Templis. Eſt de fide ex 7. Synodo, & ex Trident. ſeſſ. 25. in decreto de invocatione Sanctorum.

Prob. etiam ex unanimi conſenſu PP. apud Bellarm. Vaſq. Petavium &c. & ex perpetuo uſu fidelium, jam inde ab ipſis Chriſti temporibus.

1. Ipſe Chriſtus teſte Evagrio lib. 4. cap. 26. faciei ſuæ imaginem linteo impreſſam miſit ad Abagarum Regem.

2. Hemorrhoiſſa à Chriſto ſanata, Matth. 9. ipſi Chriſto ſtatuam erexit, quam ſe vidiſſe teſtatur Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 14.

3. Tertull. lib. de pudicitiâ, teſtatur ſuo tempo-

te, ideſt initio tertii ſæculi, in calicibus depictum fuiſſe Chriſtum in formâ boni Paſtoris.

4. Lactantius, qui vixit ſub finem tertii ſæculi in ſuo carmine de Paſſione Domini, dicit imaginem Crucifixi more noſtro tunc in Templis fuiſſe collocatam.

5. Conſtantia Imperatrix, teſte Euſebio, ſub initium quarti ſæculi plurimas imagines in Palæſtinæ Eccleſiis collocavit. His adde imagines Chriſti & B. Virginis depictas à S. Lucâ. &c.

Ex quibus mendacii arguitur Calvinus aſſerens imagines non fuiſſe in Templis collocatas ante ſæculum ſextum.

De Angelorum imaginibus etiam eſt de fide ex Synod. 7. act. 7. de imaginibus. Et verò Deus in veteri teſtamento juſſit ad arcam fieri imagines Cherubinorum exod. 25. & Salomon 3. Reg. 6. juſſit in templo ſuo poni varias Cherubinorum figuras.

De imaginibus Dei etiam certum eſt: & oppoſita Durandi ſententià dicentis earum uſum in Eccleſiâ potiùs tolerari quàm probari, meritò à Vaſquez & aliis paſſim habetur temeraria.

Nec refert quòd Deus & Angeli ſint incorporei: neque enim eorum imagines formantur ad illos repræſentandos ut in ſe ſunt (hoc enim ſatis conſtat eſſe impoſſibile, & ut tale à Scripturâ & Patribus reprehendi) ſed vel ad repræſentandam figuram in quâ aliquandò apparuerunt, vel per analogiam rerum ſenſibilium, ſub quarum formâ à nobis pinguntur, ut aliquo uſque quaſdam eorum perfectiones inviſibiles figuratè adumbremus. Sic pinguntur Angeli alati ad repræſentandam eorum celeritatem, &c.

R. 2. Etiam licitus eſt cultus imaginum Chriſti & Sanctorum &c. delatis ſignis externis ſubmiſ-

Digitized by Google

ſionis v. g. enudatione capitis, genuflexione &c. Eſt de fide ex dictis Conc. uſu perpetuo Eccleſiæ, & conſenſu PP. apud prædictos authores. Favet ratio: quia Chriſtus, & Sancti ſunt honore digni: ergo & eorum imagines, quia honor imaginis redundat in prototypon, ut inculcant Concilia citata, & patet exemplo imaginis Regiæ, quæ ideò poteſt, & debet honorari, quia in ipſum Regem redundat honos imagini ejus exhibitus.

Q. 6. Quomodo imagines ſint colendæ?

Quatuor ſunt hâc de re ſententiæ.

1. Docet non poſſe coli ſic, ut imago ſit ullo modo terminus cultûs; ſed ſolùm ſic, ut ſit pura conditio excitativa cultûs totaliter directi ad ſolum exemplar. Ita Durand. in 3. diſtinct. 9. q. 2. n. 10.

2. Huic directè oppoſita docet poſſe cultu aliquo inferiori ita honorari, ut ſola imago ſit terminus cultûs, prototypo ſic concurrente, ut nullo modo ſit terminus cultûs nequidem partialiter & indirectè, ſed ſit ſolum ratio extrinſeca colendi. Suar. Bellarm. Lorca, Tannerus, Wighers, Eſtius & alii.

3. Docet non poſſe coli ſic, ut cultus terminetur ad ſolam imaginem, ſed ſolùm ſic, ut directè feratur ſimul in imaginem, & exemplar per modum unius, vel plurium conſtantium unum totale objectum cultûs. ita Vaſquez.

4. Inter duas præcedentes media, docet non poſſe quidem coli imaginem, quin ſimul colatur Prototypon, poſſe tamen ſic coli, ut cultus etiam ſumptus quoad affectum internum, ſolam imaginem attingat directè, & expreſsè, Prototypon verò tantùm indirectè & in obliquo, ita ut illud nõ ſit ſolùm ratio colendi, ſed ſic ut formaliter colatur, & attingatur ut res principaliter honorata, licet minùs directè, & expreſsè. Eo ferè modo quo electio medii attin-

git finem propter quem eligitur medium. Ita Lugo cum variis.

R. Rejectâ primâ ſententiâ, quam alii periculoſam, & ſapientem hæreſim, ut Medina, & alii, cum Victoriâ hæreticam vocant, dicendum videtur cum 4ª. quamvis neceſſe ſit ipſum exemplar ſimul cum ſuâ imagine verè ac formaliter coli, non eſſe tamen neceſſarium ut cultus directè feratur in utrumque, ſed ſufficere, quòd imago directè, exemplar verò ſolùm indirectè, & in obliquo attingatur. Ratio eſt quia juxta hanc ſententiam ſatisfit argumentis utriuſque ſententiæ Suaris & Vaſq. & benè explicantur quę in ſpecie pugnantia dicuntur à PP., nempè dum imagines coluntur, non ipſas coli, ſed prototypa, quod hoc ſenſu verum eſt, quod illę non ſint terminus principalis, & ultimus cultûs & interim eaſdem verè ac propriè coli, quòd ſcilicèt in illas proximè tendat cultus, non tantum ſumptus pro externo ſigno, ſed etiam pro affectu ſubmiſſionis. Quod poſtremum eſt contra Vaſq, qui dicit externa ſigna terminari ad imaginem, affectum autem ad ſolum exemplar, quod non videtur ſufficere ut imago dicatur propriè coli. Vide Lugo diſp. 36. ſect. 3.

De cultu Reliquiarum, libri Evangeliorum, Altarium, & ſimilium rerum Sacrarum, item SS. nominis JESU & MARIÆ idem dicendum ac de cultu imaginum.

CAPUT VII.

De honore Parentibus, aliiſque Superioribus debito.

Q. 1. *Ad quid teneantur Liberi erga Parentes?*

R. Teneri iis præſtare amorem, reverentiam, & obedientiam.

Hinc graviter peccat filius 1. contra amorem ſi ſigna odii, ſeu averſionis erga parentes oſtendat, eos aſperè tractando, ſeu verbis, ſeu factis, grave malum illis optando, eos torvo plerumque oculo aſpiciendo, iis non ſubveniendo in neceſſitate &c.

2. Contra reverentiam ſi eos percutiat etiam leviter, ſi graviter contriſtet, ſi verbis contumelioſis afficiat, ſi pauperes deſpiciat &c.

3. Contra obedientiam ſi in re gravi pertinente ad gubernationem domûs ſit inobediens, item in rebus ad bonos mores, & animæ ſalutem ſpectantibus.

Q. 2. *Ad quid viciſſim teneantur parentes erga filios?*

R. Teneri gravi obligatione juris naturalis educare liberos; & mater quidem tenetur prolem alere ad tres annos, quibus elapſis, educatio uſque ad emancipationem ſpectat ad patrem.

2. Pater tenetur proli, etiam ſpuriæ, curare alimenta, hoc eſt cibum, potum, veſtitum, & honeſtas artes, juxta ſuum ſtatum, & præterea dotem filiæ.

3. Tenentur parentes inſtruere liberos per ſe

vel alios in neceſſariis ad ſalutem.

4. Tenentur filiis relinquere libertatem circa electionem ſtatûs, peccantque graviter ſi eos invitos ad matrimonium, vel Religionem cogant, aut ab iis abſtrahant. Vide Trident. ſeſſ. 25. de Regul. c. 18. ubi excommunicantur qui puellam cogunt ad Monaſterium.

Q. 3. *Ad quid teneantur Famuli & Domini, aliique inferiores & ſuperiores erga ſe invicem?*

R. 1. Famuli aliique ſubditi tenentur ſuis dominis, & ſuperioribus aliquo modo, eadem quæ filii parentibus, præſtare, nempè amorem, reverentiam, & obedientiam.

Hinc peccant graviter famuli ſi domino in rebus magni momenti non obediant, ſi grave damnum ei inferant, aut inferre permittant, cum impedire poſſint &c.

R. 2. Domini & Superiores tenentur habere curam famulorum, & ſubditorum ſuorum, ut ſcilicet inſtruantur in neceſſariis ad ſalutem, ut ſervent Præcepta Dei & Eccleſiæ, peccantque graviter ſi ſine juſtâ causâ famulos, alioſque ſubditos impediant nè Dominicis & Feſtis Miſſam audiant, vel diebus iſtis opera illis ſervilia imponant. Item peccant graviter, ſi peccandi occaſionem iis permittant, cùm poſſint impedire; ſi graviter delinquentes non corrigant, ſi gravibus injuriis, aut contumeliis afficiant; ſi iis alimenta convenientia non præbeant, mercedem debitam non ſolvant &c.

Q. 4. *Quem honorem &c. præſtare debeat uxor marito, & hic uxori?*

R. Debent ſibi mutuò amorem, uxor autem debet inſuper marito honorem, & in iis quæ ſpectant ad domûs gubernationem, obedientiam; quamvis maritus uxorem non ut ſervam, ſed ut ſociam tractare debeat.

Hinc 1. graviter peccant conjuges ſi inter ſe foveant odia, diſſenſiones &c. ſi ſe mutuò verbis, contumelioſis aut infamatoriis afficiant; ſi rixis, vel aliter ſe ad gravem iram, vel blaſphemiam, aut etiam pugnam provocent &c.

Specialiter autem peccat uxor ſi ſibi imperium vindicet; ſi virum mutantem domicilium ſequi nolit &c. dummodò poſſit ſine periculo vitæ, & ſalutis, & contrarium non ſint pacti; ſi ſine juſtâ causâ & ſufficienti indicio, judicet aut loquatur de mariti incontinentiâ &c.

Maritus verò peccat graviter ſi ſine causâ uxorem impediat circa præcepta Dei vel Eccleſiæ, at ſi tantùm circa ea quæ ſunt conſilii, ut eſt confeſſio, communio &c. communiter peccat tantùm venialiter. Item peccat graviter, ſi uxori neget alimenta convenientia, ſi negligat gubernationem domûs, nec procuret neceſſaria, cùm poſſit ad familiæ congruam ſuſtentationem. Item ſi uxorem immoderatè cædat. Subinde tamen ex gravi causâ poteſt illam verbis caſtigare, aut etiam moderatis verberibus, habitâ ratione conditionis & ſtatûs illius.

Plura de obligationibus conjugum inter ſe traduntur partim in tractatu de Iuſtitiâ & Iure, partim in tract. de Matrimonio.

Ex dictis collige ad quid teneantur ad ſe invicem tutores & pupilli, cives & Magiſtratus, præceptores & diſcipuli &c.

CAPUT VIII.

De Feſtorum obſervatione.

Q. 1. *Ad quem pertineat inſtituere Feſta ?*

R. per totam Eccleſiam pertinere ad Pontificem, vel Concilium Generale, ipſo approbante. Pro Diœceſi propriâ ad Epiſcopum. Et quamvis jura ad id requirant conſenſum populi, de conſuetudine tamen ſufficit, ſi conſilium inſtituendi communicetur cum aliquot è Clero. Similiter Epiſcopus Feſta ſpecialia Diœceſis juſtâ de causâ abrogare poteſt, non tantùm populo petente, ſed etiam abnuente, Layman ex Suarez.

Nota Trident. ſeſſ. 25. c. 12. de Regularibus, decernere ut *dies Feſti quos in Diœceſi ſuâ ſervandos Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur.*

Q. 2. *Quibus generatim compleatur præceptum ſervandi Feſta ?*

R. Auditione Sacri, & ceſſatione ab opere ſervili : conſuetudo audiendi Veſperas pia eſt, & laudabilis, non tamen obligat ſub peccato.

Hinc ſi qui pœnitentes deprehendantur peccare ex conſcientiâ erroneâ, reducendi ſunt, & monendi in eo non eſſe peccatum, ſaltèm grave. Idem dicendum de auditione Miſſæ in ſuâ Parochiâ.

Nota cùm excitata olim eſſet Duaci controverſia de obligatione audiendi Miſſam in ſuâ Parochiâ diebus Dominicis & Feſtis, eam fuiſſe ſopitam per Decretum Clementis VIII. datum anno 1592. 22. Decembris. Quod ſic habet. *Præſenti*

noſtro Decreto ſancimus licere ſæcularibus, Chriſtique fidelibus univerſis Miſſas diebus Dominicis & Feſtis aliis majoribus audire in Eccleſiis tam FF. Prædicatorum, quàm aliorum mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis JESU juxta eorum privilegia, & antiquas conſuetudines &c.

Similiter non eſt ſtricta obligatio audiendi concionem diebus Dominicis & Feſtis in propriâ Parochiâ per ſe loquendo, & verò Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. ſolùm dicit fideles ad id teneri *ubi id commodè fieri poteſt*. Ex quibus verbis multi Doctores colligunt non eſſe ſtrictam obligationem. Et ſi qua fuerit, ei derogatum eſt per privilegia regularium, & receptam conſuetudinem contrariam.

Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens nonnulli præſertim rudiores ſubinde tenentur audire conciones, ſeu catechiſmos ad ſuam neceſſariam inſtructionem.

Q. 3. *Quænam ſint requiſita ad implendum præceptum audiendæ Miſſæ?*

R. Requiritur 1. moralis ac pia præſentia, ut nempe quis ſit corpore præſens, atque animo piè intentus, ſeu ſacris verbis, ac ceremoniis, ſeu ipſi Deo per preces, cæleſtium rerum conſiderationem, aliamve piam mentis attentionem.

Ad præſentiam moralem, non eſt neceſſarium, ut ſacrificantem videas, vel audias, ſed ſufficit ſi ita præſens ſis moraliter, ut ex ſignis quibuſdam colligere poſſis quid à ſacrificante agatur. Hinc ſufficit illud audire ex quovis loco Templi, ex quo poſſis ſenſu aliquo externo percipere quid geratur, imò ex gradibus veſtibuli, aut etiam ex plateâ, ſi multitudo acceſſum impediat: non ſufficit tamen ſi è feneſtrâ domûs, aut è loco remotiori audias, ſi aliùnde non ſit impeditus propior acceſſus.

Ad piam & reverentem præſentiam requiritur

attentio ſaltèm virtualis & in confuſo, ad ea quæ ſunt de ſubſtantiâ Miſſæ, vel propinquiùs ad eam pertinent, ut ſunt conſecratio, communio &c. Item devotio ſaltèm externa, quæ moraliter ſit cultus divinus.

Hinc confabulationes, etiam de rebus divinis, ſi omnimodam attentionem impediant, etiam impediunt impletionem præcepti Satisfaciunt tamen præcepto qui quoquo modo, miniſtrant Sacro, etſi occupentur quærendis è Sacriſtiâ, aut alio loco neceſſariis, ut aquâ, vino &c. item muſici in odeo occupati vertendis libris, pulſando organa, follibus attollendis &c.

Requiritur 2. intentio ſaltèm virtualis, aut implicita audiendi Sacrum, non eſt tamen neceſſaria intentio ſatisfaciendi præcepto, imò nec notitia præcepti. Hinc ſi quis non cogitans de implendo præcepto, nec ſciens eſſe Feſtum, audit Sacrum, ſatisfacit præcepto, nec tenetur aliud audire cùm poſtea ſciverit eſſe Feſtum. Ratio eſt quia poſuit ſubſtantiam præcepti. Imò qui audiens Sacrum haberet expreſſam voluntatem non ſatisfaciendi præcepto per illud, ſed per aliud quod intendit audire poſtea, reverà per illud ſatisfaceret, nec teneretur ad audiendum aliud.

Qui moraliter coactus Sacrum audit, ut qui metu Domini, aut magiſtri, non audet abeſſe, ſatisfacit præcepto, quamvis habeat voluntatem abeundi ſi poſſet; quæ tamen voluntas peccaminoſa eſt: ſimiliter qui adit Templum, principaliter ad malum finem, peccat quidem eâ perverſâ intentione: ſatisfacit tamen præcepto, ſi velit, & de facto ponat ſubſtantialia præcepti.

Requiritur 3. ut audiatur Miſſa integra, ſaltem quoad ſubſtantialia Qui autem aliquam partem Miſſæ ſine juſtâ causâ omittit, peccat; venialiter quidem, ſi ſit pars exigua, mortaliter

verò, ſi ſit notabilis.

Fermè autem conſentiunt Doctores (teſte Layman) non eſſe partem notabilem, ideóque non peccari mortaliter, ſi quis à principio Epiſtolæ vel ſecundùm alios à principio Evangelii uſque ad finem Miſſæ interſit, vel à principio Miſſæ uſque ad communionem Sacerdotis incluſivè.

Probabile etiam eſt non peccari mortaliter, ſi quis accedat finito Evangelio, modò reliquam Miſſam audiat uſque ad Evangelium S. Ioannis incluſivè, quia audiendo Evangelium S. Ioannis videtur compenſare neglectum antea Evangelium. Suarez.

Non ſatisfacit qui plures partes ſimul â diverſis celebrantibus audit, nam ab Innoc. XI. damnata eſt hæc propoſitio inter 65. 57. *ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audit.*

Qui confitetur per magnam, aut præcipuam Miſſæ partem, tenetur aliam audire, quia ſic impeditur præſentia moralis ad auditionem Sacri requiſita.

Q. 4. *Quibus diebus obliget præceptum audiendi Miſſam?*

R. Omnibus Feſtis ab Eccleſiâ vel Epiſcopo præſcriptis, non à Principe ſæculari, aut Magiſtratu. In ſemifeſtis quorumdam locorum, videndum an Miſſa ſit de præcepto. In Feſtis meræ devotionis, non eſt obligatio. In Natali Domini non eſt obligatio audiendi, aut faciendi tria Sacra. Neque in die Paraſceves tenentur fideles adeſſe Officio; quamvis in illum incidat Feſtum Annuntiationis, vel aliud non tranſlatum.

Nota hanc propoſitionem ab Innoc. XI. damnatam *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

Q. 5. *Quæ cauſæ excuſent ab auditione Sacri?*

R. Præter impotentiam ſpiritualem, quæ con-

trahitur in excommunicatione, vel interdicto, tres generatìm cauſæ afferri ſolent.

1ª. Eſt impotentia phyſica, ſeu ſimpliciter dicta, qualis eſt incarceratorum, lecto affixorum, mari navigantium &c. neque tales, ſi privilegium habeant utendi altari portatili in loco privato, ad id obligantur; quia nemo tenetur ſuo privilegio uti adversùs legem communem.

2ª. Eſt impotentia moralis, quando ſcilicet Miſſa audiri non poteſt, niſi cum magnâ difficultate, vel jacturâ bonorum animi, aut fortunæ.

Hinc excuſantur 1º. qui ſine periculo ſcandali, vel ſpiritualis ruinæ, aut qui ſine magno pudore ſuo ac infamiâ domo exire non poſſunt. Ut v. g. mulier ex occultâ fornicatione prægnans; item honeſta mulier, non honeſtè veſtita &c.

2. Qui infirmi ſunt, aut infirmis ſerviunt, aut aliud ejuſmodi charitatis officium exercent, quod ſine notabili alterius damno omitti non poſſit.

3. Qui longè diſſiti ſunt à loco ubi Miſſa audiri poteſt, habitâ ratione perſonarum, viæ, temporis, conſuetudinis &c. Item matres & ancillæ, quæ infantibus aſſiſtere debent: etiam ii qui domum, vel gregem, vel quid aliud momenti cuſtodire debent, nè damnum inferatur.

4. Qui ratione officii, vel gravis negotii impediuntur, ut milites ſtationarii, vigiles, agaſones &c. Item famuli quibus imperium domini obſtat, quominùs ad templum accedere liceat; dummodò id non cedat in Religionis contemptum; nec poſſint domino contradicere abſque gravi ſuo incommodo: quòd ſi famulus frequenter ſine cauſâ juſtæ neceſſitatis impediatur à Miſsâ audiendâ, debet oblatâ opportunitate, tale miniſterium relinquere, & alteri domino adhærere.

Eadem eſt ratio, cùm opifices à magiſtris ſuis, v. g. ſartoribus, in vigiliis, & ſabbathis poſt noc-

tis medium laborare coguntur : nam ſi id fiat ob aliquam neceſſitatem, nulla eſt difficultas, ſi verò abſque juſtâ causâ, ſemel aut iterùm parere poſſunt ad vitanda diſſidia, contentiones, odia &c. At ſi frequenter, ac per conſuetudinem; tunc debent iſtum dominum deſerere, & alium quærere, v. Layman.

3ª. Cauſa, eſt rationabilis conſuetudo ſcientibus Prælatis introducta : qualis quibuſdam locis eſt inviduâ maritum defunctum lugente, in puerperâ &c.

Q. 6. *Quæ opera prohibita ſint diebus Feſtis ac Dominicis ?*

R. 1. Prohibentur omnia opera ſervilia, exceptis iis quæ jure, aut conſuetudine ſunt permiſſa. Porrò opera ſervilia dicuntur, quæ corporis neceſſitatibus inſervientia ignobiliora ſunt, & per ſervos exerceri ſolita, ut arare, fabricare, veſtes conficere &c.

His opponuntur opera liberalia, ſic dicta quòd homine libero digna ſint; quippe quæ ad animum excolendum ſpectant, ut legere, ſcribere, docere &c.

Dixi *Exceptis iis &c.* quia ſunt quædam quæ jure, aut conſuetudine ſunt permiſſa. Ut coquere cibos, aut alia id genus ob neceſſitatem. Quando ſunt opera verè ſervilia, non refert utrùm fiant ex recreatione, an ex lucro; item an ex tali aut tali intentione &c.

R. 2. Etiam prohibita ſunt diebus Feſtis opera judicialia, ſeu forenſia, quæ ſtrepitum judicialem requirunt, ſive actiones quæ ad deciſionem cauſarum tam civilium, quàm criminalium, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticarum ſpectant : ut ſunt reum citare, teſtes examinare, & ab iis juramentum judiciale exigere, exhibere inſtrumenta, ſententiam proferre &c. Et hæc quidem, ſi feratur die Feſto, eſt irrita. v. Layman. Non eſt tamen

Illicitum die Feſto excommunicare, diſpenſare, Judicem privatim informare, Advocatum conſulere &c. quæ ſtrepitum judicialem non continent.

Huc revocari poteſt mercatus, qui licèt non ſit opus ſervile, tamen prohibetur cap. 1. de Feriis. Hinc die Feſto negotiari non licet, ſeu publicè, ſeu privatim, nec inire contractus emptionis, locationis, permutationis &c. niſi ex conſuetudine, aut ex aliis juſtis cauſis excuſentur. Sic permitti ſolet emptio & venditio, quarumdam rerum ad victum quotidianum neceſſariarum; item quibuſdam locis permittuntur ſolemnes nundinæ diebus dedicationum &c.

Q. 7. *Quanta eſt obligatio abſtinendi ab operibus ſervilibus die Feſto, & quanam ab eâ excuſent?*

R. Eſſe obligationem ſub mortali; quamvis ob materiæ levitatem tranſgreſſio ſolùm venialis eſſe poſſit, conſideratâ, tum operis qualitate, tum temporis morâ, quod tali operi impenditur. Fieri etiam poteſt ut accedente neceſſitate nullum ſit peccatum, ut cùm pauperes ancillæ vel famuli ſuas veſtes die Feſto reficiunt &c.

CAPUT IX.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

Q. 1. *Quid Beneficium Eccleſiaſticum, & quotuplex?*

R. Beneficium Eccleſiaſticum, eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, propter officium aliquod ſpirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum.

Dicitur 1. *Ius perpetuum* quia Beneficia inſtituta ſunt ut ſemper durent; ſic ut dum uni tolluntur, tribuantur alteri, per hoc excluduntur vicaria & commenda temporales, quæ non ſunt Beneficia, de quibus loquuntur Canones.

Dicitur 2. *Propter officium ſpirituale.* Qualia ſunt legere Horas Canonicas, facere Sacrum, miniſtrare Sacramenta &c.

Dicitur 3. *Authoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Erectum ſcilicet, vel confirmatum, nam niſi alterutrum abſit, non habet rationem Beneficii Eccleſiaſtici. Unde Capellaniæ non collativæ, quæ in quibuſdam nobilium domibus authoritate privatâ conſtitutæ ſunt, non ſunt Beneficia Eccleſiaſtica, nec inducunt obligationem legendi Horas, & poſſunt cuilibet in quâlibet ætate conferri, niſi aliter cautum ſit in fundatione, nec Capellanum faciunt ſubditum Epiſcopo loci ad ſuſcipiendos Sacros Ordines; quamvis ſi ſint perpetuæ, poſſit quis ad earum titulum ordinari ſicut ad titulum patrimonii.

Dividitur 1. in beneficium ſæculare, quod Clericis

Clericis ſæcularibus, & regulare quod regularibus competit.

2. In ſimplex & duplex. Duplex dicitur quod habet aliquam præeminentiam, jurisdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Epiſcopatus, quæ tamen quia ſublimiora ſunt, non veniunt nomine communi beneficii, ſaltèm in pœnalibus.

Deinde duplicia ſunt, quæ dicuntur dignitates, ut ſunt Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia ſive regularis, ſive ſæcularis, Prioratus conventualis; item Perſonatus, qui eſt præeminentia abſque juriſdictione, habens annexum locum honorificum in choro, proceſſionibus &c. ut Cantoria; item quæ vocantur officia, ut beneficium Theſaurarii. Denique beneficia parochialia, ſeu curata; id eſt habentia curam animarum.

Beneficium ſimplex dicitur, quod neque præeminentiam, neque juriſdictionem, aut adminiſtrationem ullam habet, ut ſimplex Canonicatus, Capellania tam forenſis, id eſt quæ reſidentiam non debet, quàm non forenſis, quæ debet. Item Præſtimonium, quod eſt beneficium pro ſtudioſis, vel in ſubſidium terræ ſanctæ conſtitutum cum exiguo plerumque onere v. g. dicendi quotidie quinies *Pater* & *Ave.*

Dividitur beneficium in titulare, quod ita confertur in perpetuum, ut ſine gravi causâ auferri non poſſit, & manuale, quod eſt auferibile ad nutum Prælati, aut Patroni, ut ſunt pleraque regularia.

Q. 2. *Quot modis acquirantur Beneficia Eccleſiaſtica?*

R. Potiſſimùm tribus, nempe collatione liberâ, electione cum ſubſecutâ confirmatione, & præſentatione cum ſubſequente inſtitutione.

Hinc triplicis etiam generis ſunt beneficia, nempe libera ſeu collativa, electiva, & patronata. De his vide Panormitanum in capit. *auctoritate* de inſtitutionibus, Rebuffum, Garciam. Layman &c.

Addi ſolent tres alii modi, poſtulatio, reſignatio, permutatio, de quibus infra. Circa hæc autem dicenda ſunt ſequentia.

Circa collationem, 1. ea eſt juris in beneficio conceſſio libera, ſeu procedens ex mero conferentis arbitrio, in quo differt ab inſtitutione ſtrictè ſumptâ, quæ eſt conceſſio juris non libera, cùm nempe Prælatus Beneficium conferre debet præſentato per patronum. Aliquando tamen collatio latiùs ſumitur pro quâlibet conceſſione, tam neceſſariâ, quàm liberâ, qualiter ſub ſe comprehendit etiam inſtitutionem.

2. Quamvis Epiſcopus jure communi habeat poteſtatem conferendi omnia beneficia in ſuâ Diœceſi cap. 1. de Capellis Monachorum & alibi; Iuribus tamen ſpecialibus etiam alii conferunt.

3. Ius conferendi beneficia competens Epiſcopo, non tranſit ad capitulum Sede vacante, niſi collatio illi eſſet communis cum Epiſcopo. Poteſt tamen Capitulum, Sede vacante, confirmare electos, & inſtituere præſentatos.

4. Summus Pontifex eſt univerſalis collator beneficiorum in totâ Eccleſiâ, & illa confert tribus modis.

1. Iure præventionis, ut quando alicui confert gratiam expectativam ad beneficium primò vacaturum: & hoc eſt ſpeciale Papæ privilegium, quod non competit inferioribus collatoribus. Trid. ſeſſ. 24. c. 19

2. Iure concurſûs cum aliis collatoribus, qualiter etiam legatus à latere concurrit cum ordinariis. In hoc autem caſu datur locus præventioni, ſic ut qui prior contulit, rata ſit ejus collatio. Cæ-

terùm ad vitandam confuſionem Summus Pontifex his conferendi modis rarò utitur : & ideo in multis Eccleſiis menſes aliquot pontificiæ collationi reſervantur, ut menſes alterni ſecundùm concordata Germaniæ.

3. Confert Pontifex beneficia jure devolutionis : ut quando ratione criminis v. g. ob ſimoniam, aut ratione negligentiæ collatoris, jus conferendi ad illum devolvitur ex Canonum diſpoſitione. Fit autem hæc devolutio gradatim ab inferioribus ad ſuperiores. Si enim negligat inferior collator, jus conferendi devolvitur ad Epiſcopum, ab hoc ad Archiepiſcopum, ab iſto ad Papam. Vide Rebuffum in praxi beneficiorum tit: de devolutionibus.

Circa electionem, 1. Ea eſt alicujus perſonæ ad Eccleſiæ vacantis paſtoralem dignitatem canonica vocatio. Per eam electus jus acquirit ad rem, non jus in re, niſi ſubſecutâ confirmatione : excipe niſi electio ſit talis, ut non egeat confirmatione. Verùm hæc, ut notat Rebuffus, potiùs rationem habet collationis, quàm electionis.

2. In electione ſervanda eſt forma canonica, de quâ capit. *quia propter* 42. de electione : ubi etiam indicantur tres formæ, ſeu modi eligendi.

Primus eſt per ſcrutinium, ſeu collectionem ſuffragiorum, in quâ neceſſe eſt, ut major ac ſanior pars capituli in eundem conſentiat.

Secundus per compromiſſum, quando capitulares poteſtatem eligendi uni, vel pluribus viris idoneis committunt.

Tertius velut per inſpirationem, quando omnes uno corde & ore in eundem ſubitò conſentiunt.

Electioni affinis eſt poſtulatio, quæ locum habet cum perſona aliqua eligi non poteſt ob defectum aliquem diſpenſabilem, putà ætatis, Natalium, Ordinum &c. qualiter etiam Epiſcopus

unius Eccleſiæ nón poteſt eligi ad aliam, ſed tantùm poſtulari, hoc eſt ſupplicari à ſuperiore, ut talem perſonam ad talem Eccleſiam ſeu dignitatem vacantem, non obſtante defectu quem habet, admittat. Quæ poſtulatio ab ipſo eligentium Collegio facienda eſt.

Circa præſentationem 1. Ea eſt quædam perſonæ per patronum legitimè facta exhibitio Epiſcopo, vel alteri ad quem pertinet inſtitutio. Ita Abbas, qui notat per præſentationem nullum jus ſpirituale acquiri præſentato; ſi tamen idoneus eſt, debere inſtitui per ſuperiorem. Et ideò inſtitutio dicitur conceſſio beneficii non libera.

2. Ius patronatûs acquiritur fundatione (hoc eſt, fundi datione) ædificatione, & dotatione Eccleſiæ. De quo Trid. ſeſſ. 24. c. 12. quâ ratione plures ejuſdem Eccleſiæ patroni eſſe poſſunt, ſi unus fundavit, alter conſtruxit &c.

3. Ius patronatûs aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud laïcum. Eccleſiaſticum eſt quod alicui competit ratione Eccleſiæ, aut Beneficii quod poſſidet; laïcum, quod ratione patrimonii. Patronus laïcus præſentare debet intra quatuor menſes à vacatione Beneficii. Eccleſiaſticus habet menſes ſex. Qui etiam laïco conceduntur, quando patronus eſt partim laïcus, partim Eccleſiaſticus. Hoc tempore elapſo, poteſt Epiſcopus conferre cui voluerit.

4. Ad præſentationem reducitur illa nominatio, qua Reges, aut Principes ex privilegio, pleriſque Regni ſui dignitatibus providere ſolent. De quâ fusè Rebuffus ad concordata Galliæ. Item nominationes Univerſitatum, quæ fiunt ad Beneficia vacatura; de quâ etiam Rebuffus, Garcias, & tangit. Trid. ſeſſ. 7. c. 13.

Q. 3. *Quæ conditiones requirantur ut quis ſit capax beneficii?*

R. Eæ à Leſſio numerantur decem: nempe to-

rus legitimus, clericatus, ætas competens, celibatus, libertas à cenſuris, irregularitate & ſimilibus impedimentis, morum probitas, ſcientia, aptitudo corporis, intentio, carentia Beneficii incompatibilis. Pro quibus ſint ſequentia,

Prima conditio, *Torus legitimus*, nam illegitimi, ſive naturales, ſive ſpurii, incapaces ſunt. Capit. 1. de filiis Presbyterorum. in 6. Poſſunt tamen reddi capaces, etiam Epiſcopatûs, per diſpenſationem Pontificis, non tamen per diſpenſationem Epiſcopi, qui cum illegitimis ſolùm poteſt diſpenſare ad minores Ordines, & ad beneficia ſimplicia, quibus non eſt annexus Ordo Sacer, niſi priùs obtentâ diſpenſatione à Papâ ad Sacros Ordines: tunc enim poteſt Epiſcopus diſpenſare ad quælibet beneficia ſimplicia, etiam Eccleſiæ Cathedralis. Item illegitimus, etiam cum Epiſcopi diſpenſatione, non poteſt obtinere beneficium in Eccleſiâ; ubi ejus parens beneficium aliquod habet, aut habuit; neque penſionem ſuper fructibus beneficii, quod ipſius parens aliquando obtinuit. V. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 15. habet autem locum hæc conſtitutio etiam in filiis clericorum naturalibus, ideſt qui ante clericatum nati ſunt ex fornicatione.

Filii legitimi non poſſunt immediatè patri ſuccedere in eodem beneficio, ad vitandam ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis: poſſunt tamen habere beneficium in eâdem Eccleſiâ. Trid. ibid. c. 7.

2ª. Conditio, *Clericatus*, ſeu prima tonſura, quæ ita neceſſaria eſt ad quodvis beneficium, ut eâ deficiente, collatio ſit irrita. Hinc præbendæ Canonicarum non ſunt beneficia Eccleſiaſtica. Si beneficium ex ſuâ inſtitutione requirat certum Ordinem ſacrum, putà Diaconatum, Sacerdotium &c. illo ordine carens, eſt inhabilis ad iſtud beneficium: capit. *dudum* 22. de electione. Ex conſue-

tudine tamen ſufficit, ſi intra annum Ordo ille ſuſcipiatur. Leſſ.

Epiſcopatus tamen prærequirit ſaltèm Subdiaconatum; capit *à multis* 9. de ætate & qualitate &c. Similiter Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis habet annexum Subdiaconatum. Adeptus Epiſcopatum debet intra tres menſes munus conſecrationis accipere, alioqui tenetur ad fructuum perceptorum reſtitutionem: & ſi intra totidem menſes poſtea id facere neglexerit, ſuo Epiſcopatu ipſo jure privatur. Trid. ſeſſ. 23. c. 2. Adeptus beneficium curatum, intra annum ad Sacerdotium promoveri debet, alioqui beneficio privatur ipſo jure.

3ª. Conditio, *Ætas*, quæ pro ratione beneficii, varia requiritur: nam ad beneficium ſimplex ſufficiunt 14. anni inchoati. Trid. Seſſ. 23. c. 6. de reformatione. Ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis requiruntur 21. quia habet annexum ſubdiaconatum, ut dictum eſt. Ad dignitates ſine curâ animarum 22. completi. Cæterùm in praxi videndæ ſunt Eccleſiarum conſuetudines.

Nota ex occaſione Abbatiſſas, & alias Monialium præfectas (ubi Concilium Tridentinum eſt receptum) debere habere 40. annos completos. Trid. Seſſ. 25. c. 7. de Regularibus. Iure Antiquiori ſolùm requirebantur anni 30. capit. de *indemnitatibus* de electione in 6.

4ª. Conditio, *Cœlibatus*; nã conjugatus eſt incapax beneficii. Quòd ſi Clericus minorum Ordinum habens beneficium, matrimonium contrahat, ipſo jure illud amittit. DD. communiter ex capit. 1, 2. & 8. de Clericis conjugatis.

Si tamen invalidè contraxerit, probabilius eſt non eſſe privatum ipſo facto: ſed privandum per Superiorem. Multòminus privatur, ſi tantùm contraxerit ſponſalia; imò hoc caſu putat Sanchez ne quidem eſſe privandum.

Vacat etiam beneficium ipſo jure per profeſſionem Religioſam capit. *Beneficium* de regular. in 6. Quare ejus reſignatio facienda eſt ante finem Novitiatûs.

5ª. Conditio, *Llibertas à cenſurâ & irregularitate &c.* Hinc excommunicatus inhabilis eſt ad beneficium: nec ſolùm collatio, ſed etiam electio, & poſtulatio ipſo jure ſunt irrita. Idem eſt de ſuſpenſo, interdicto, & irregulari, de quibus alibi, ubi de cenſuris.

Intruſus in aliquod beneficium, fit inhabilis ad illud, nō ad alia. Ut ſi quis ſine ullo titulo beneficium occupet, aut ſi electus ante cōfirmationem adminiſtrationi ſe ingerat, capit. *avaritiæ* de electione in 6.

6.ª7ª.8ª. Conditio, *morum probitas, ſcientia, aptitudo corporis.* Quamvis morum probitas ad beneficium acquirendum ſit neceſſaria, collatio tamen facta criminoſo non eſt de ſe irrita, ſed ſolùm irritanda; niſi crimen annexam habeat cenſuram &c. Scientia, & Aptitudo corporis ea requiritur, quæ neceſſaria eſt ad officium decenter præſtandum. Hinc collatio facta cæco, aut muto, irrita eſt: quia inepti ſunt ad legendas Horas; cæcitas tamen ſuperveniens non privat beneficio priùs obtento.

9ª. Conditio, *Intentio*, nempe ſtatûs eccleſiaſtici ſuſcipiendi; nam is qui accipit beneficium, cui annexus eſt Ordo Sacer, non habens animum Ordines ſtatuto tempore ſuſcipiendi, juxtà communem peccat mortaliter. Item qui accipit beneficium parochiale tenetur ſub mortali habere intentionem ſuſcipiendi Sacerdotii intra annum, & ſi eam non habeat, non facit fructus ſuos, ſed tenetur illos reſtituere. Sufficit tamen habere voluntatem conditionatam ſuſcipiendi ſtatum Eccleſiaſticum, vel Ordines Sacros tempore ſtatuto, niſi ſcilicet occurrat juſta ratio voluntatē iſtam mutādi. Layman. Sanch. Garcias &c.

10ª. Conditio, *Carentia beneficii incompatibilis.* Bene-

ficia incompatibilia ſunt v g. duo beneficia curata, duæ dignitates , item duo beneficia uniformia ſub eodem tecto , ideſt in eâdem Eccleſiâ v. g. duo Canonicatus ejuſdem Eccleſiæ. Item duo beneficia in diverſis Eccleſiis , quæ debent utrobique reſidentiam. Poteſt tamen Pontifex ex juſtâ causâ diſpenſare.

Triplex autem adferri ſolet ejuſmodi cauſa : neceſſitas Eccleſiæ, ejus utilitas, & evidens meritorum prærogativa ; quæ præſertim reperitur in perſonis illuſtribus , ut filius Regum , aut Principum &c.

Q. 4. *An & quale ſit peccatum beneficia conferre indignis , aut minùs dignis?*

R. 1. Eſt mortale conferre beneficium indigno, quando dignus haberi poteſt.

2. per ſe loquendo mortale eſt minùs dignum præferre notabiliter digniori in beneficiis habentibus annexam curam animarum , vel juriſdictionem Eccleſiaſticam , vel adminiſtrationem.

Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens id licet certis caſibus. Ut ſi beneficium ex fundatione dandum ſit alicui ex certâ familiâ , oppido &c. aut alicui ex gremio iſtius Eccleſiæ ; tunc enim ſufficiet illud dare illorum aptiſſimo ; item ſi digniores reſervandi ſint pro aliis beneficiis præſertim curatis. Porrò is dignior cenſendus eſt, non abſolutè qui doctior eſt , aut etiam ſanctior , ſed qui omnibus ſpectatis creditur meliùs officio ſatisfacturus, & futurus utilior Eccleſiæ.

Nota damnatam eſſe ab Innoc. XI. hanc propoſitionem : *cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter , qui , niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint , ad Eccleſias promovent ; Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle , niſi dignitatem eligendorum , ſumpto comparativo pro poſitivo , vel 2°. locutione minùs*

propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur 3°. quando ſit concurſus.

Q. 5. *Quibus modis Beneficia amittantur?*

R. Amitti tripliciter, juris diſpoſitione, per ſententiam Iudicis, & renuntiatione.

Iuris diſpoſitione, amittitur beneficium quadrupliciter.

1. Si acquiratur aliud incompatibile.

2. Per matrimonium.

3. Per Religioſam Profeſſionem.

4. Per varia crimina, quibus pœna privationis ipſo jure annexa eſt, qualia ſunt hæreſis, homicidium per aſſaſinum, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, & alia quæ vide apud Layman, Palao &c.

Per ſententiam Iudicis amittitur beneficium, quando per ſententiam condemnatoriam ob crimen juxta Canones tali pœnâ dignum, Clericus privatur ſuo beneficio. Qualia ſunt, homicidium ſimplex, ſacrilegium, adulterium, perjurium &c.

Renuntiatione, ſeu reſignatione amittitur beneficium, cùm quis ſpontaneè illud dimittit coram legitimo Iudice id acceptante.

Q. 6. *Quotuplex reſignatio, & quæ in eâ ſint obſervanda?*

R. Reſignatio alia eſt pura & ſimplex, alia quæ fit in favorem tertii: ea quæ fit in favorem tertii, iterum eſt duplex; alia ſimplex, ideſt quæ fit abſque ullâ reſervatione, alia qualificata, quæ fit reſervato ſibi jure regreſſûs, vel penſione, vel aliquibus fructibus. Quòd ſi reſignatio fiat adjectâ, hâc aut ſimili clauſulâ: *non aliter, nec aliàs,* ſolùm illi tertio conferri poterit beneficium. Et talis reſignatio per ſe loquendo ſolùm poteſt fieri in manibus Pontificis.

Cæterùm (ſaltèm ubi non eſt recepta Bulla Pii V. id prohibens) non eſt illicitum reſignare in manibus Ordinarii cum deprecatione ut certæ perſonæ conferre velit, non tamen ad id illum obligando.

Neque probandum videtur quod docent aliqui poſſe Epiſcopum reſignationē ſic factam in favorem tertii acceptare ut puram, & ita conferre cui voluerit. Quòd ſi reſignans, aut etiam permutans ſit infirmus, debet ex regulâ Cancellariæ ſupervivere 20. dies, alioquin cenſetur beneficium vacare per obitum, & non per reſignationem.

Q. 7. *Quid ſit, & quomodò fiat beneficiorum permutatio?*

R. Permutatio eſt cùm beneficiati ſua beneficia reſignant in manibus Ordinarii, vel Ordinariorum quibus ea ſubſunt, eâ lege ut alterius beneficium alteri conferatur. Inferior Epiſcopo non admittit permutationem. Si non Epiſcopus, ſed alius ſit collator, debet Epiſcopus ad illum remittere pro collatione. Requiritur etiam conſenſus eorum ad quos pertinet electio, vel præſentatio, quem ſi negent, poterit Epiſcopus illum ſupplere ſuâ approbatione. Non eſt autem neceſſe ut executio permutationis fiat eodem tempore, & ſi reſignatione ex unâ parte completâ, alter ex parte ſuâ nolit complere, poterit prior redire ad ſuum beneficium.

Q. 8. *Quid dicendum de Penſionibus?*

R. Penſio eſt jus percipiendi aliquos fructus ex beneficio alieno. Dividitur in laïcam, ſpiritualem, & mixtam.

Laïca eſt quæ datur laïco Eccleſiæ negotia agenti.

Spiritualis ſeu *Clericalis*, quæ datur ob titulum ſpiritualem, v. g. coadjutori Epiſcopi.

Mixta, quæ datur Clerico, ſed non ob officium ſpirituale; ut ea quæ datur paſtori ſeni, aut quæ conſtituitur ob reſignationem beneficii &c.

De modo conſtituendi penſionem ſint ſequentia.

1. Ut quis ſit capax penſionis Eccleſiaſticæ, eadem ferè requiruntur, quæ ad beneficia, nempe torus legitimus, clericatus, &c. item extingui-

tur matrimonio, profeſſione Religioſâ &c. de ætate eſt controverſia, putant aliqui eam ſufficere quæ ſufficit ad tonſuram. Vide Leſſium Nec eſt improbabile excommunicatum, & irregularem penſionis mixtæ eſſe capacem. Garcias, Layman &c.

2. Non poteſt Epiſcopus, per ſe loquendo, penſionem beneficiis imponere, id enim hodie de Curiæ Rom. conſuetudine Pontifici reſervatum eſt: videtur tamen poſſe in quibuſdam caſibus ſpecialibus, v. g. ob paupertatem, vel ſenium reſignantis, vel ob tranſactionem in lite motâ ſuper beneficio, vel etiam fortè causâ permutationis ob fructuum inæqualitatem. Legantur Layman c. 18. n. 3. Leſſius c. 34. dub. 38. atque his caſibus non durat penſio niſi ad vitam penſionarii gravantis ipſum beneficium, ut quamdiu is vivet, ſolvatur penſio etiam à ſucceſſore.

3. Penſio ſemper debet eſſe moderata, ne nimiùm gravetur Beneficiarius, præſertim ſi beneficium habeat annexam curam animarum. Ordinariè non poteſt excedere tertiam partem fructuum, etſi Pontifex poſſit etiam majorem conſtituere, præſertim cùm penſio eſt ex causâ penſionario oneroſâ. Vide pro his Trid. ſeſſ. 24. c. 13. & dicenda de Simoniâ infra.

CAPUT X.

De obligationibus Beneficiatorum.

CErtum eſt teneri per ſe loquendo ad Horas quotidie recitandas. Ex Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9., & ex Bullâ Pii V. quæ incipit: *ex proximo-Lateranenſi.* Quo poſito

Q. 1. *An Beneficiati teneantur ad Horas ſtatim poſt acceptatam beneficii collationem, quamvis nondum acquiſierint ejus poſſeſſionem?*

R. Probabile eſſe quòd non teneantur; quia ante poſſeſſionem nondum cenſentur plenè & perfectè beneficium conſecuti. Ita Layman dicens hanc in praxi communiorem eſſe ſententiam, niſi per eos ſtet, quòd poſſeſſionem non accipiant. Garcias cum multis aliis vult eos ſtatim ad id obligari, quia ex tunc verè dicuntur obtinere beneficium. Et hæc ſententia etiam probabilis eſt.

Q. 2. *An teneatur, qui Beneficium poſſidet, ſed nullos ex eo fructus percipit?*

R. Non teneri, ſi abſque ſuâ culpâ nullos fructus percipiat, nec poſtea percepturus ſit pro hoc tempore.

An autem in caſu quo reditus primi & ſecundi anni ſubtrahantur beneficiato, ut cedant fabricæ aut beneficiatis antiquioribus, ſit nihilominùs obligatio ad Horas pro iſto tempore, controvertitur.

Negant aliqui, & tolerabile putant Layman & Palao pro locis in quibus talis eſt conſuetudo, de quâ conſtare debet.

Digitized by Google

Alii communiùs cenſent obligari, quia per applicationem factam fabricæ liberatur beneficiatus in reliquum tempus onere ſolvendi pro fabricâ, & per applicationem beneficiatis antiquioribus, ipſe conſequitur idem privilegium in poſterum. Ex quo à fortiori obligatur, ſi fructus dictorum annorum reſerventur illi poſt mortem accipiendi, ut v. g. ſatisfiat defuncti debitis.

Quòd ſi ſtet per beneficiatum quo minùs fructus percipiat, obligatur, ut v. g. quia non reſidet, aut quia fructus, aut eorum magnam partem attribuit ſubſtituto ejus nomine deſervienti.

Hinc ait Leſſius non excuſari adoleſcentes, qui habentes Capellaniam, expendunt majorem partem fructuum in ſubſtitutum, qui ſacra faciat. Putat tamen Bonartius ejuſmodi adoleſcentes, qui ultra ſtipendium Sacerdotis annuum, nihil, vel parum recipiunt, ex æquitate probabiliter excuſari poſſe, cùm in ſtudiis verſantur, ſaltèm nè quotidie Horas recitent.

Q. 3. *An excuſet Beneficii tenuitas?*

R. Communiùs negari. V. Suares, Palao &c. Si tamen ſit ita tenue, ut non ſuppeditet bonam partem ſuſtentationis, hoc eſt, juxta Leſſ. 15. aut 16. aureos, probabile eſt non teneri ad recitandum quotidie, ſed tantùm aliquoties per annum v. g. diebus Dominicis & Feſtis, prout ratio dictaverit. Quidam ut Layman rectè monent conſulendam eſſe cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem.

Q. 4. *Quid dicendum de Commendatario, Coadjutore, Penſionario?*

R. 1. Commendatarius perpetuus obligatur ad Horas; quia talis commenda conſtituitur in perſonæ utilitatem, & æquiparatur beneficio, cùm habeat vim & effectum tituli. Trid. ſeſſ. 7. c. 2. de reform. & alibi. Aliud eſt de commendâ temporali, quæ eſt potiùs cauſa cuſtodiæ, & in Eccleſiæ

utilitatem : idem dicit Layman de Vicario, nempe Vicarium perpetuum obligari, non item temporalem.

2. Coadjutor non obligatur, licèt inſtituatur cum futurâ ſucceſſione, quia nondum eſt beneficiarius. Excipit Layman Coadjutorem perpetuum cum pleno jure adminiſtrandi ob beneficiati amentiam, aut ſimilem infirmitatem; quia tunc videtur inſt tui cum omnibus obligationibus.

3. Penſionarius qui ex alieno beneficio Eccleſiaſtico penſionem recipit, non obligatur, quia non eſt verè beneficiatus, obligatur tamen ad Officium B. Virginis ubi Bulla Pii V. quoad hoc recepta eſt, niſi aliunde obligatus ſit ad Officium Canonicum, aut fortè malit illud recitare.

Q. 5. *An, & quomodò Beneficiati omittentes Horas, teneantur ad reſtitutionem?*

R. 1. Si beneficiatus poſt ſex menſes ab obtento beneficio ex ſuâ culpâ Horas omiſerit, non facit fructus ſuos, & tenetur ad eorum reſtitutionem faciendam, in fabricam vel pauperes, pro ratâ temporis & officii omiſſi. Ex Concil. Lateran. ſup. §. *ſtatuimus* & ex Bullâ Pii V.

Nota hanc propoſitionem damnatam ab Alexandro VII. *reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleëmoſynas, quas anteà beneficiarius de fructibus ſui benefitii fecerit.*

Dicitur 1. *poſt ſex menſes*, quia ſi primo ſemeſtri omittat, quamvis graviter peccet, ut monet Pontifex, non tamen obligatur ad ullam reſtitutionem.

Dicitur 2. *ex ſuâ culpâ*, ex quo colligitur non obligari, ſi ſine culpâ v. g. ex naturali oblivione, ex morbo &c. omiſerit.

Dicitur 3. *pro ratâ &c.* rata autem fructuum ex Pii V. declaratione ſic accipienda eſt, ut qui om-

nes horas uno die omiſerit, amittat omnes fructus reſpondentes illi diei, qui matutinum, dimidiam eorum partem; ſimiliter qui dicto matutino cæteras omnes horas omittit: qui harum ſingulas, 6am. fructuum partem. Ita Pontifex in Bullâ.

Nota eam reſtitutionem deberi in conſcientiâ ante ſententiam judicis: etenim ab Alexandro VII. damnata eſt hæc propoſitio: *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientiâ ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quòd ſit pœna.*

R. 2. Non obſtantibus dictis conſtitutionibus valde probabile eſt Beneficiatum qui præter horas, aliud onus ſeu officium annexum habet, quod ritè peragat, ut ſi Curatus Sacramenta adminiſtret, Capellanus Sacra celebret &c. tantùm teneri ad partem fructuum proportionaliter reſpondentem officio neglecto, quam volunt aliqui eſſe 3am. omnium fructuum, alii 4am. aut etiam 5am. in curatis. Putat Layman, attendendam eſſe quantitatem onerum & redituum; unde ſi reditus non ſuperent quantitatem onerum ab horis diſtinctorum, probabile eſt omittentem horas ad nullam, vel modicam reſtitutionem obligari.

Q. 6. *Qui Beneficiati obligentur ad reſidentiam, & quomodo?*

Reſidentia eſt aſſiduitas commorandi in loco beneficii, cauſâ ſervitii Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi.

R. 1. Habentes Beneficia curata jure Divino obligantur ad reſidentiam. DD. communiſſimè ex Trid. Seſſ. 23. c. 1. Hinc Pontifex non poteſt in eo diſpenſare per ſe loquendo. Quòd ſi ſit juſta cauſa, putà Eccleſiæ utilitas, ingreſſus in Religionem &c. debent per alium gregi ſuo ſufficienter providere.

R. 2. Ex Trid. ibidem, poſſunt Epiſcopi annis ſingulis abſque diſpenſatione, aut approbatione

ſui Superioris abeſſe à ſuis Eccleſiis per tres menſes, ſi diutius abſuerint, peccant, & fructus pro ratâ temporis non faciunt ſuos.

Excipe niſi id poſtulet aliquod Reipublicæ munus Epiſcopatui annexum, quale eſt v. g. intereſſe comitiis ſtatuum Provincialibus, vel Generalibus &c.

Sub eâdem culpâ & pœnâ prohibetur Parochis abeſſe à ſuis Eccleſiis ultra duos menſes. Immò probabilius eſt, nequidem bimeſtri abeſſe poſſe abſque approbatione Ordinarii.

R 3. Habentes Præbendas in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis, ſi ultra tres menſes ab illis abſuerint. 1°. anno privantur dimidiâ parte fructuum. 2°. Fructibus totius anni. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. Eſt autem hæc pœna ſententiæ ferendæ, non latæ. Videndum etiam quo-uſque hoc decretum receptum ſit in ſingulis Eccleſiis. Deinde notandum, ſi quibuſdam locis conſuetudo minus ſpatium beneficiatis concedat, eandem non tolli à Tridentino, ſed potiùs confirmari.

R 4 Quamvis omnia beneficia de jure communi exigant reſidentiam, ſunt tamen aliqua ſimplicia quæ ex conſuetudine, aut fundatione illam non exigunt.

R. 5. Cauſæ excuſantes à reſidentiâ variæ ſunt apud Leſſ. Azor, Malderum &c. inter cæteras eſt ſtudium Theologiæ, aut juris Canonici, quod excuſat ad 5. annos jure communi. Profeſſio autem Theologiæ, & Iuris Canonici excuſat quantovis tempore. Vide capitulum finale de Magiſtris.

CA-

CAPUT XI.

De Simoniâ.

Q. 1. *Quid ſit ſimonia, & quotuplex*

R. 1. Simonia eſt ſtudioſa, ſeu deliberata voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.

Per ly *emendi &c.* intelligitur quodlibet pactum non gratuitum diſtrahendi.

Per ly *pretio temporali* : Intelligitur res quæcumque pretio æſtimabilis, ſive ſit (ut loquuntur Canoniſtæ) *munus à manû*, ut pecunia, vinum; vel res alia mobilis, aut immobilis: itemque remiſſio debiti &c. ſive *munus à linguâ*, ut patrocinium, interceſſio, commendatio apud Principem &c. ſive *munus ab obſequio*, ut quodcumque aliud miniſterium; ſi nempe deducatur in pactum tacitum, vel expreſſum ad obtinendum v. g. beneficium Eccleſiaſticum.

Per ly *ſpirituale* ſignificatur aliquid ſacrum, ſeu aliquo modo ſupernaturale, vel ſpirituali annexum, nempe vel antecedenter, ut jus patronatûs, quod præſupponitur præſentationi & collationi beneficii, vel concomitanter, ut labor neceſſarius & intrinſecus miniſtrationi Sacramenti, vel conſequenter, ut reditus beneficiorum qui dantur propter officium ſpirituale.

Simonia eſt peccatum grave irreligioſitatis & irreverentiæ rebus ſacris debitæ, adeòque ſpecies ſacrilegii, in quâ multi dicunt non dari parvitatem materiæ, ſaltèm quando eſt Simonia juris Divini.

R. 2. Simonia dividitur 1. In eam quæ eſt Iuris Divini, & eam quæ humani.

Iuris divini eſt quæ jure divino, aut naturali eſt prohibita, ut ſi emantur aut vendantur Sacramenta; ſi calix pluris vendatur, quia conſecratus &c.

Iuris humani, quæ prohibita eſt jure Eccleſiaſtico, ut illicita permutatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum, acceptio munerum pro examine ad Paſtoratum &c. Trid. ſeſſ. 24. c. 18.

Dividitur 2. in mentalem, conventionalem, & realem.

Mentalis hîc dicitur, non quæ in ſolâ mente, ſeu propoſito conſiſtit, ſed quæ ita tranſit in actum externum, ut tamen exteriùs non appareat intentio ſimoniaca.

Conventionalis, eſt quæ tranſit in pactionem mutuam, expreſſam vel tacitam, ſed ſine executione, ſaltèm utrimque completâ. Quod addo, quia ſi ex unâ tantùm parte compleatur, ut ſi tradito pretio non tradatur res v. g. beneficium, nondum commiſſa eſt ſimonia realis; quamvis neque ſit purè conventionalis, ſed mixta.

Realis eſt quando pactio ex utrâque parte completa eſt, ſaltèm inchoatè, ut ſi collatio beneficii facta ſit, & pretium ſaltèm ex parte ſolutum. De Simoniâ confidentiæ dicetur infra.

Q. 2. *Quænam in particulari ſint ſimoniaca, & quæ non?*

R. 1. Simoniacum eſt 1. emere vel vendere Sacramenta, Sacramentalia, Reliquias ſacras &c. non eſt tamen illicitum in extremâ, vel gravi neceſſitate dare pecuniam, non ut pretium Sacramenti, ſed ad redimendam vexationem, ſi miniſter, qui tenetur ex charitate, aliter conferre nolit. Simile eſt de ſacris Reliquiis, aut Sacrâ hoſtiâ, ſi eas hæretici v. g. injuſtè detineant, aut indignè tractent.

2. Simonia eſt dare vel accipere pretium pro functionibus ſpiritualibus quâ talibus, v. g. Sacramenti adminiſtratione, Miſſæ celebratione, Eccleſiarum conſecratione &c.

Dixi *qua talibus*, quia pro his ſubinde licet aliquid accipere aliis titulis v. g. ſuſtentationis (nam dignus eſt operarius cibo ſuo Mat. 10.) laboris extrinſeci, & per accidens conjuncti cum tali functione &c.

3. Simonia eſt aliquid accipere pro quovis uſu poteſtatis ſpiritualis v. g. pro diſpenſatione in juramentis, votis &c. imò ex Trid. ſeſſ. 21. c. 1. Epiſcopis, & eorum miniſtris ſpecialiter vetitum eſt, nè quid exigant pro litteris Ordinum, vel dimiſſoriis &c. aut etiam ſponte oblatum accipiant; exceptis tamen Notariis, quando nullum aliud ſalarium illis ex conſuetudine conſtitutum eſt.

4. Simonia eſt dare aliquid vel accipere præcisè pro ſtatu Religionis, vel admiſſione ad illum. Poteſt tamen recipi pro ſuſtentatione, ſi Monaſterium ſit tenue: ſi verò ſit opulentum, videtur eſſe ſimonia juris humani. In Monaſteriis tamen Monialium, etiam opulentis, uſus invaluit ut dos aliqua ſolvatur; ſimiliter ut in Monaſterio etiam opulento aliquid exigatur pro victu & veſtitu Novitii.

His adde damnatas eſſe ab Innocentio XI. tanquam ſcandaloſas & pernicioſas haſce duas propoſitiones inter 65. 45^am^. & 46^am^. *dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.* Item: *& id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis.*

Quæ propoſitiones ſumptæ ſicut jacent, ideſt, in ſuâ generalitate, ſeu univerſaliter, natæ ſunt cauſare ſcandalum, & dare occaſionem committendi veras ſimonias: & ideò ſic ſumptæ meritò ſunt damnatæ ut ſcandaloſæ. &c. cum quo ſtat quaſdam propoſitiones in particulari ſub iis contentas, non eſſe ſcandaloſas, nec prohibitas. Hinc

R. 2. Non videtur eſſe Simoniacum 1. Si quid Eccleſiæ donetur ſub onere & conditione faciendi aliquid ſpirituale; ut ſi quis Eccleſiæ leget fundum ſub hâc conditione, ut anniverſarium ſacrum fiat. Vide plures ejuſmodi caſus apud Sylveſt. V. *Simonia* q. 17.

2. Si quis pecuniâ propoſitâ aliquem incitet ad actus virtutis, ut ſi parens propoſitâ pecuniâ filium incitet ad confeſſionem, communionem &c.

Q. 3. *Quomodo generatim committatur Simonia in materiâ Beneficiorum?*

R. Eſſe Simoniacum emere, vel vendere beneficium, ut patet ex pluribus juribus. Cauſâ 1. q. 3. neque ſolùm quoad jus ſpirituale in Beneficio incluſum, ſed etiam quoad jus redituum fundatum in officio ſpirituali. Licet tamen emere, vel vendere emolumenta iſtius juris, ſeu fructus ejus, idque ſive ad certos annos, ſive ad vitam ipſius beneficiati: ſic tamen ut venditor, ſeu Beneficiarius retineat jus principale, ad eum modum quo de uſufructuario alibi diximus.

Item eſt ſimonia dare vel accipere pecuniam pro collatione, electione, præſentatione ad beneficium & generaliter pro quâcumque actione quâ jus etiam inchoatum ad illud acquiritur.

Q. 4. *Quomodo committatur ſimonia in reſignatione Beneficii?*

R. Simonia eſt 1. Si reſignatio fiat reciprocè ut ſi Petrus reſignet in favorem nepotis Pauli, ut Paulus reſignet ſuum in favorem nepotis Petri.

Idem dicendum de reſignationibus, ut vocant triangularibus, aut quadrangularibus: ut ſi Ioannes reſignet Petro, ut Petrus reſignet ſuum Paulo & Paulus ſuum cedat in favorē Ioannis: in his enim omnibus continetur pactio obligans ad id quod jure non ineſt: qualis pactio omnis eſt ſimoniaca. Poſſunt tamen hæc fieri coram Pontifice, cujus authoritas diſſipat ſimoniam juris humani.

2. Simonia eſt in reſignatione reſervare penſionem privatâ authoritate. Poſſunt tamen partes tali caſu de penſione inter ſe tractare, imò concludere, non abſolutè, ſed ſub beneplacito ſuperioris.

3. Non poteſt in reſignatione ſub onere pēſionis, apponi pactum de redimendâ penſione, niſi accedat authoritas Pontificis.

Q. 5. *Quomodò committatur ſimonia in Beneficiorum permutatione?*

R. 1. Si beneficia permutentur ſine authoritate ſuperioris.

2. Si unus permutantium alteri imponat aliquod onus, quod ſit præter naturam permutationis, v.g. omnes ſumptus ſolvendos.

3. Si propriâ authoritate compenſent pecuniâ, vel penſione fructuum inæqualitatem &c.

Q. 6. *An & quomodò liceat in beneficiis redimere vexationem.*

R. 1. Qui habet jus in re, poteſt pecuniâ redimere iniquam vexationem, etiam probabiliter in caſu quo quis eum ab adeundâ poſſeſſione impedit. Eſt communis contra Scotum: quia per hoc nihil emitur ſpirituale: nam ipſa poſſeſſio eſt quoddam temporale ſuppoſito titulo: unde in tribunalibus civilibus ſubinde agitur de poſſeſſorio, etiam in re beneficiariâ.

2. Qui tantùm habet jus ad rem, non poteſt redimere vexationem ab iis qui prodeſſe poſſunt, v. g. ab aliquo electorum, vel à Prælato, cujus

eſt electum confirmare ; ſecùs ſi non poſſint prodeſſe, ſed tantùm obeſſe. Eſt communis.

Q. 7. *An ſit ſimoniacum penſionem emere, vel redimere?*

R. Non eſſe illicitum penſionem laïcam emere vel redimere, eſſe tamen illicitum emere,vel redimere penſionem purè ſpiritualem. Mixta emi non poteſt aut vendi. An per ſe loquendo redimi poſſit, controvertitur : affirmant Cajet. Tolet. Leſſ. Tanner. quia hoc non eſt emere jus ſpirituale, ſed extinguere temporalem obligationem Negant alii, volentes requiri authoritatem Pontificis ob ſtylum Curiæ.

Q. 8. *An liceat emere, vel vendere jus patronatûs?*

R. Secundùm ſe non licere, quia ut ſic eſt quoddam ſpirituale, non minùs quàm jus eligendi ad beneficium. Poteſt tamen transferri concomitanter ; ut ſi vendatur fundus, cui jus tale annexum eſt, dummodò non pluris vendatur ratione ejus.

Q. 9. *An in materiâ beneficiali licita ſit tranſactio propriâ authoritate?*

R. cum Layman 1. non eſt illicita compoſitio amicabilis ; ut ſi pars altera gratìs cedat jure ſuo, aut ſi partes compromittant in arbitros, dummodò qui poſſidet beneficium, non debeat illud dimittere. Hoc enim non poteſt abſque authoritate Superioris.

2. Simoniaca eſt ea tranſactio,in quâ uni relinquitur beneficium : alteri datur res temporalis; ut ſi de beneficio litiganti detur pecunia ut deſiſtat, vel cedat jure ſuo ; aut ſi unus cedat alteri, ut hic ſolvat expenſas litis.

Q. 10. *Quid dicendum de ſimoniâ confidentiæ?*

R. 1. Simonia confidentiæ eſt, cùm quis procurat alteri beneficium, eligendo, præſentan-

do, conferendo, reſignando &c. cum certâ confidentiâ, hoc eſt, pacto expreſſo vel tacito ut is cui procuratur, illud aliquando procuranti reſignet, aut alteri, vel penſionem ob fructus ex eo præſtet; ut ſi Epiſcopus cujus nepos nondum eſt idoneus per ætatem, conferat alteri beneficium cum pacto ut illud nepoti Epiſcopi reſignet cùm capax fuerit.

2. Probabile eſt non eſſe ſimoniam confidentiæ cùm penſio, vel fructus ipſi reſignanti aſſignantur, ſed ſolùm quando alteri. Hugolinus, Navar. &c.

3. Probabile item eſt permutantes beneficia cum confidentiâ, non committere ſimoniam confidentialem, quia Pius IV. & Pius V. qui hanc ſimoniam ſpecialiter condemnârunt, abſolutè loquuntur de reſignationibus; verba autem in materiâ pœnali ſunt ſtrictè accipienda. Vide de his Leſſium.

Q. 11. *Quæ ſint pœnæ Simoniacorum in materiâ beneficiali?*

R. 1. Generaliter nulla pæna juris appoſita eſt ſimoniæ mentali: item nulla pœna incurritur ob ſimoniam purè conventionalem, neque ob mixtam aut ſemi-realem, ſaltem nondum completam traditione rei ſpiritualis. Quod addo, quia ſi ſit ita completa, varii exiſtimant incurri pœnas, quamvis oppoſitum ſit probabile & (teſte Navarro) ſervetur in Curiâ Romanâ. Excipienda tamen ſimonia confidentiæ, de quâ ſtatim.

R. 2. Pœnæ ſimoniæ in beneficiis ſunt hæ:

1. Qui Beneficium confert, vel procurat per ſimoniam realem, eligendo, præſentando, confirmando &c. eſt ipſo facto excommunicatus: extravag. *cum deteſtabile.* De ſimoniâ.

2. Idem dicendum de eo qui beneficium per talem ſimoniam ſcienter acquirit.

3. Talis electio, præſentatio, collatio, ipſo

facto eſt irrita, & ita proviſus non facit fructus ſuos,teneturque in conſcientiâ tum illos,tum beneficium reſtituere. *Ibidem*. Quod etiam verum eſt, quamvis ſimonia, ipſo ignorante, commiſſa ſit, niſi forte inimicus ejus, ut ei noceret, pecuniam dederit, aut niſi ſuſpicans de eâ agi, expreſsè contradixerit. vide Layman.

4. Ita electus, aut proviſus fit inhabilis ad idem beneficium, neque poteſt illud etiam ex Epiſcopi diſpenſatione obtinere. Capit. *Nobis fuit*. De ſimoniâ. Et capit. penultimo de electione. Ubi excipitur, ſi ſit beneficium ſimplex, & ipſo ignorante, nec ratum habente, ſimonia commiſſa ſit; tunc enim poſt liberam reſignationem poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Adde juxta nonnullos hanc inhabilitatem ab Epiſcopo tolli poſſe, quoties ſimonia eſt occulta.

Nota ex communiori, has pœnas etiam extendi ad permutantem beneficia propriâ authoritate, quamvis eo caſu non ſit ſimonia propriè dicta. Ratio eſt, quia ſimonia juris divini & humani æquiparantur in jure quoad pœnas. Oppoſita tamen eſt probabilis. v. Sanchez cap. 3. D. 108.

R. 3. Simoniæ confidentiæ ſpecialiter decretæ ſunt hæ pœnæ.

1. Excommunicatio Papalis utrique contrahenti, ſi ſint inferiores Epiſcopo.

2. Privatio beneficii in quo facta eſt ſimonia.

3. Privatio reliquorum beneficiorum, ac penſionum.

4. Inhabilitas ad idem, & ad alia beneficia.

5. Ad has pœnas ſufficit beneficium datum & acceptum eſſe, quamvis accipiens promiſſum nondum impleverit.

Nota quod ad privationem reliquorum beneficiorum attinet, ſimilem pænam incurri ipſo facto in ſimoniâ commiſsâ in electione Papæ. Item ab

jis qui aliquid accipiunt occaſione examinis ad beneficium parochiale. In his tamen omnibus videtur receptum, ut quis non teneatur illa dimittere ante ſententiam.

Q. 12. *An accepta per ſimoniam ſint reſtituenda, & cui?*

R. 1. Qui ſimoniacè vendit ac tradit rem ſpiritualem, ex quâ nullum habet commodum temporale, tenetur ex rei naturâ pretium acceptum reſtituere ei à quo accepit, & is rem ſpiritualem ei qui vendidit, ſi talis ſit ut reſtitui queat. Ratio eſt quia talis contractus eſt irritus ex rei naturâ, cum detur pretium pro re omninò invendibili. Negant tamen non-nulli rem ſpiritualem debere reſtitui.

R. 2. Qui vendit ac tradit rem ſpiritualem, ex quâ commodum aliquod temporale percipit, poteſt pretium ſimoniacum retinere, quantùm eſt ex rei naturâ, & ſecluſo jure Eccleſiaſtico. Quod addo, quia ex diſpoſitione juris Eccleſiaſtici in materiâ beneficiali pretium reſtituendum eſt vel ei qui dedit, ut probabile eſt, ante ſententiam, vel Eccleſiæ aut pauperibus, ſaltem poſt ſententiam cap. *de hoc* 11. de Simoniâ.

CAPUT XII.

De vitiis Virtuti Religionis oppoſitis.

Vitia virtuti Religionis oppoſita juxta S. Tho. 2. 2. q. 92. art. 1. alia ſunt ſecundùm exceſſum, alia ſecundùm defectum.

Q. 1. *Quæ ſint vitia Religioni oppoſita ſecundùm exceſſum?*

R. Sunt ea quæ nomine ſuperſtitionis comprehenduntur. Eſt autem ſuperſtitio falſa Religio, ſeu cultus vitioſus veri, vel falſi Numinis. Ex quo habes duplicem generaliter eſſe ſuperſtitionem; unam ex parte objecti, alteram ex parte cultûs indebiti.

Ex parte objecti tres ſunt ejus ſpecies, idololatria, divinatio, & vana obſervatio, quæ ſunt ex genere ſuo mortalia.

Idololatria eſt cùm cultus qui ſoli Deo debetur, creaturæ exhibetur. Triplex eſt perfecta, minùs perfecta, & ſimulata.

Perfecta eſt cùm quis ſciens idolo divinum honorem exhibet, quia falsò exiſtimat Deum eſſe. Et hæc cum infidelitate conjuncta eſt.

Minùs perfecta eſt cùm quis idolo, aut cuicumque creaturæ, quæ ut Deus colitur, cultum externum tamquam Deo defert, non quòd credat in eâ ineſſe divinitatem, ſed ex pravo affectu v. g. odio veri Dei, vel cupiditate aliquid à diabolo obtinendi.

Simulata eſt, cùm quis ſine exiſtimatione divinitatis, & ſine interno affectu colendi, ob tyranni vel populi metum, exteriùs idolo exhibet cultum ſoli Deo debitum.

Divinatio eſt ſignificatio occultorum ex pacto cum dæmone, ſive expreſſo, ſive implicito.

Divinationis quæ fit per pactum implicitum, multæ ſunt ſpecies. ut divinatio per aſtra, ut cùm ex ſitu, aut motu aſtrorum, eventus à libero arbitrio pendentes prædicuntur, vel præteriti, vel præſentes occulti effectus denuntiantur; item ejuſmodi divinatio ex vultûs, aut manuum lineamentis, ex ſomniis, ſortibus &c. item ex avium, piſcium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu &c. quæ omnes vanæ ſunt obſervationes, & ſuperſtitioſæ.

Huc revocantur magia, & maleficium.

Magia eſt cùm quis ex pacto & cooperatione dæmonis intendit mira facere.

Maleficium, cùm ex eodem pacto & cooperatione ejuſdem intendit alteri nocere. Aliud dicitur amatorium ſeu philtrum, quo quis utitur ad carnalem amorem, vel odium excitandum: aliud dicitur veneficium, quo alicui perſonæ, vel ejus bonis damnum infertur.

Q. 2. *Quomodò maleficium tolli poſſit*?

R. Remediis ex medicinâ, & ex Dei ac Sanctorum invocatione, per exorciſmos, peregrinationes, jejunia, Eccleſiæ Sacramenta &c.

Etiam licitum eſt ſigna per quæ dæmon nocet deſtruere, ſed abſque alio maleficio.

Item ſi maleficus poſſit modo licito illud tollere, poteſt rogari, imò & pecuniâ induci, etiam verberibus cogi ad tollendum; idque etiam ſi prævideatur facturus per novum maleficium, cùm enim id licito modo præſtare poſſit, habeo jus illud petendi, ejuſque malitiæ imputabitur, ſi faciat modo illicito. Sic ex causâ licet mutuum petere ab eo, qui prævidetur non aliter daturus quàm ad uſuram.

In dubio an poſſit aliter quàm novo maleficio tollere, non licet ab eo petere, quia eſt periculum peccandi.

Superſtitio ex parte cultûs indebiti, eſt duplex, nempe cultus falſus, ut ſi quis Deum colat tamquam Eccleſiæ miniſter, nullam ad id habens commiſſionem, ſi Sacerdos excommunicatus nomine Eccleſiæ ſacrificet &c. & cultus ſuperfluus, ut ſi quis Deum colere aggrediatur eo modo qui neque ad Dei gloriam, neque ad excitandam ſpiritûs devotionem inſerviat; quales ſunt multæ devotiones muliercularum heteroclitæ v. g. non nere die ſabbathi in honorem B. Virginis, orare adhibito certo numero, ſitu, colore cereorum &c.

eſt autem hæc ſuperſtitio , ſi contemptus & ſcandalum abſit.peccatum veniale tantùm. v. Layman.

Q. 3. *Quæ ſunt vitia Religioni oppoſita ſecundùm defectum* ?

R. Ea comprehendi nomine irreligioſitatis : ſunt autem duplicis generis:alia quibus Deo ſecundùm ſe irreverentia irrogatur , ſive ejus cultui & honori detrahitur, ut tentatio Dei , perjurium , blaſphemia &c. alia quibus res ſacræ , ſeu Deo dicatæ indignè , & cum irreverentiâ in Deum ipſum redundante tractantur, & hæc comprehendi ſolent nomine ſacrilegii.

Tentatio Dei eſt cùm quis dicto vel facto intendit explorare nùm Deus ſit ſapiens , potens , miſericors&c.

Perjurium eſt cùm adducitur Deus in teſtimonium rei falſæ , & ut talis cognitæ ,

Blaſphemia eſt verbum maledictionis , vel convitii ſeu contumeliæ in Deum , ſive id fiat attribuendo ei falſa , ſive negando vera &c. S. Tho. 2.2. q. 13.

Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ , ſeu Deo dicatæ : eſt triplex , perſonale , quo perſona , locale , quo locus , & reale , quo res aliæ Deo ſacræ violantur : vide de his plura apud S. Thomam , Filiuc , Azor , Layman &c.

FINIS
SECUNDÆ PARTIS.

Digitized by Google